BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LX
A
44
NAPOLI

LX A.44-

LXVII
[illegible]
49

BIBLIOTHECÆ THEOLOGICÆ

Contractæ

libelli duo.

AUTHORE
GERHARDO MEJERO,
Licentiat. & Profeſſ. theologo.

BREMÆ,
Apud PETRUM CÖLERUM,
Typis BERTHOLDI & HENRICI
de VILLIERS, ibid. illuſtris
Gymnaſii Typogr.
ANNO 1660.

Ad Authorem.

COncisis verbis rerũ momẽta teguntur:
Lectorem dubium pagina curta facit:
Sunt tenebræ brevitas, ſed tu, Meiere, diſerta
Ut brevitate places, ſic brevitate pates.
Tot calomo mortes à mortis ſorte redemtæ
Portendant Mortis Tardius Imperium!

Epigramma.

AVGVSTI SAGITTARII, Brem. feſtinante mortis imperio Witteberga nuper abrepti.

ILLVSTRISSIMO DOMINO.

Dno. HERMANNO ADOLPHO, Comiti & Nobili Domino de Lippia &c.

Domino ſuo Gratioſiſſimo.

Illuſtrisſime COMES Domine Gratioſisſime.

PUblica literarum gymnaſia Tullius præcipuum illud Latii decus libris de Officiis mercatui comparat. Compoſitè admodum. Scilicet ut *non omnis fert omnia tellus*, ſed neceſſum eſt multiplici regionum indigentiæ ex emporiis ſuccurrere; hæc ſiquidem

vina, hæc eſculenta, hæc aromata, thura & cætera illa rariora nomina vel ex ultimo terræ angulo comportata circumjacentibus ſuppeditant, quibus varios defectus ſuppleant. Sic ſe academiæ & illuſtres ſcholæ habent; hæ officinæ ſunt divinæ & humanæ ſapientiæ, hæ mercatus quaſi quarumcunque artium optimarum, unde quisq; ſalutaria religionis, ſcientiarũ ac virtutum præcepta ſibi comparare queat, quibus plurifariis animi defectibus medeatur. Turpe eſt amplos mercatus adiiſſe mercatorem, & omnibus tamen deſtitutum mercibus, quibus opem patriæ ferat ſibique lucrum habeat, redire domum. Turpe illuſtria Lycea, ſapientię illos mercatus, frequentaſſe & inanem omnique vacuum do-

ctrina redire in patriam. Noſtrum hoc Bremenſe Athenæum, ne conferimus quidem cũ celeberrimis ejusmodi ſcholis: meritò tamen gaudemus, quæ infinita Dei benignitas eſt, *in hac noſtra* nihil non doceri, quod quidem in laude eruditionis poſitum eſt: divinæ quippe apud nos juxta humanæque artes loquuntur, nec ulla tacet ſapientiæ pars: nec orbis Romani ſolùm perſonant Muſæ ſed & Græciæ & Orientis. Peregrinorum cõfluxum ad Gymnaſium noſtrum non jactamus, quanquã non deſint ex univerſæ Germaniæ provinciis & exteris etiã regnis, quos non parvo catalogo poſſemus producere; ſanè de *Lippiacorum* frequenti acceſſu licet prolixè nobismet gratulari. Hi

fuere ab anno hujus ſeculi X. *Thulmejeri, Pideritii, Humanni, Stöckeri, Tilekenii, Luthmanni, Barlemejeri, Guilicheri, Dreckmeieri, Freundii, Rötekenii, Wittii, Gieſſenbierii, Nagelii, Hartmanni, Wulfii, Scroderi, Grotii, Sevinghauſii, Heilerſichii, Klingii, Wetteri, Traphagii, Windæi, Meieri, Bradæi, Vietores, Jacobi, Heidheckeri, Perizonii, Textorii, Crûgeri, Cothmanni, Rikii, Stakelbeccii, Plesmanni, Sobbæi, Hunnæi, Vogelſangii, Bodekeri, Mettengangi, Pierii, Glanæi, Erbbrochuſii, Engeringii, Warneri, Buſchii, Phanii, Stutenii, Ebelii, Theopoldi, Florini, Römeri, Koetzenbergeri, Uhthoſii, Stephani, Lindemanni, Remminghauſii.* Quique hiſce XV annis nos audivere, *Blomii, Saſſæi, Capmeieri, Göckelii, Henzii, Thulmejeri, Höckeri, Timple-*

*pleri, Dolſii, Schwarzmejeri, Waſ-
ſerbeccii, Storkii, Kellerhauſii,
Dreckmejeri, Robbichii, Matthæi,
Grabbæi, Crûgeri, Hûnefeldii, Dal-
huſii, Stephani, Pegelii, Rennec-
ceri, Ribbentrupii, Barckhu-
ſii, Wittii, Stöckeri, Lippiani.*
Quõs omnes nõ pudet in ſcenã
quaſi reducere, quippe quorũ
modeſtiam ac ſingulari indu-
ſtria paratam eruditionem &
benevolentia Profeſſorum, quâ
hi illos complexi ſunt, & civiũ
noſtrorum favor, quo liberali-
bus menſis omnes propemo-
dum excepere, & decreta Supe-
periorum ſuorum, quibus nõ
pauci eorundem dimiſſi è Gy-
mnaſio noſtro publicis quâ ſa-
cris quâ civilibus muneribus
ſtatim fuere præfecti. Laudan-
di & hîc eſſent alii adhuc non
pejoris notæ XIX Juvenes ho-
dieq; nobis præſentes, quos in-

ter Octo illi ſunt, qui hanc de ſacris ſcriptoribus enarrationẽ publicis diſputationibus ſubjecere, ſi id chartulæ anguſtia permitteret. Sanè id agunt, & quantùm poſſunt, animo connituntur, ne anteceſſoribus cultu literarum inferiores aliquando deprehendantur.

Hoc continuum per annos L. ſcientiarum commercium inter veſtrates noſtratesq; mecũ penſitans, audeo Illuſtriſſime Comes, dum aliquid literariæ mercis communi uſui exponere animus eſt, quantulum iſtud Illuſtriſſimo Nomini Tuo offerre. Tui ſiquidem ſunt, qui haſce lucubrationes publicis velitationibus defenderunt. Te Principem ſuum ac Patrem patriæ, Te maximum literarii mercatus patronum

colit cuncta hæc nominata eruditorũ turba. Tuis rempublicã humeris ſervari non modò, ſed & attolli quotidie & augeſcere fatentur omnes. Suſcipe ergo, Gratioſiſſime Domine, pagellas haſce ſerena fronte, noſtrũ literariũ commerciũ ampliſſimo tuo patrocinio & me gratia tua dignare. Sic te inclutæ domui & aris & focis veſtris propitium Numen diutiſſimè ſervet incolumem. Bremæ, die XXIV. Martii. anno æræ Chriſtianæ cIↄ Iↄc LX.

Illuſtriſſimæ Excellentiæ Tuæ

addictisſimus ſervus:

GERHARDUS MEIERUS, S. Th. Licent. illuſtris ſcholæ Bremenſis Rector & facultatis Theolog. Profeſſor ſenior.

Nomina eorum

Qui ad partem aliquã opuſculi & ſubjecta hæc corollaria reſponderunt.

I. Joh. Pothar ſtius, Vſſl Lipp. 10. *Dec.* 1659.

I. S. Scriptura ex originali in linguas vernaculas & vulgo cognitas omnino eſt transferenda. II. Cum infallibili rerum divinæ præſcientia conſiſtit earundẽ contingentia. III. Non ſola Chriſti paſſiva obedientia ſed & activa eſt materia Juſtificationis noſtræ.

II. Juſt. Jac. Schröderus, Vſſl Lipp. 24. *Dec.*

I. Feſta ab eccleſia olim inſtituta ad memoriam & gratiarũ actionem inſigniorum quorundam beneficiorũ meritò in eccleſiæ hodieq; retineantur. II. Maria mater Dei rectè dicitur & Domin⁹ Jeſus noſter verè carnis & ſanguinis humani particeps factus ex ſemine B. Virginis, verus homo nobis per omnia excepto peccato ſimilis eſt. III. Venit verò in mundũ Dominus, ut noſtro loco tanquam ſponſor ſatisfaceret, cùm pœnas ſufferendo, tum legem exactâ obſervantia implendo.

III. J. Hen. **Krücke** */ Capp. Lipp.* 7. *Jã.* 1660.

I. Dona Chriſto ut homini per unionem perſonalẽ collata ſunt excellentiſſima, ſed finita; non propria divinæ eſſentiæ. II. Vocatio externa univerſalis non eſt. III. Datur omnino peccatum originale inhærens.

IV.

IV. Jo: Eberh. Zonſius Brakâ Lipp. 28. Jan.

I. Angelos 1. die creatos probabile eſt. 2. Die nil niſi infima aëris regio. II. Deus mala & peccata non nudè & otioſè permittit; ſed impiorum malitia utitur, impetum eorundem ad certa objecta dirigendo, ad judiciorum ſuorum exſecutionem. III. Omni homini certus vitæ terminus poſitus eſt. IV. B. Maria ſine peccato originis non fuit. V. Purgatorium Pontificiorum commentum eſt.

V. Conr. Chriſtoph. Heidmeier, Mosb. Lipp. 14. Febr.

I. Panis in cœna domini frangendus eſt. II. Ubiquetas eſſentiæ carnis Chriſti, quæ revera nulla eſt, & à paucis ſolùm Chriſtianis creditur, eſt inſufficiens ad probandam cõſubſtantiationem in cœna. III. Cœna Domini ſacrificium externum & propriè dictum non eſt.

VI. Barthold. Wlömerus, Vſſl. Lipp. 18. Febr.

I. Loco rotundarum hoſtiolarum panis verus, cibarius quique & frangi poteſt in ſ. cœna meritò adhibetur. II. Peſſimè Tatianus & Encratitæ ſec. 2. aquam pro vino in ſ. cœna obtulerunt. III. Quiq; intinctum panem loco utriusque ſymboli communicantibus dedêre. IV. Et Manichæi qui vel aquam vini loco biberunt, vel à calice planè abſtinuerunt. V. Impiè Pontificii laicos ſ. calice privant.

VII.

VII. Henr. Steph. Pleckio, Vffl. Lipp. 3. Mart.

I. Paucioribus difficultatibus obnoxii ſunt, qui in doctrina de fide infantium, fidē infantibus planè denegant. II. In apoſtolica eccleſia Miniſtrorū vocatio penes eccleſiam erat; quo jure adhuc hodie quædam eccleſiæ meritò gaudent. III. Miniſtris verbi debetur ſtipendium publicum. IV. Non ſemper eccleſia externa in terris viſibilis eſt. V. Malè exterminatur ex eccleſiis quibusdam poteſtas clavium.

VIII. J. Neddermā, Heidâ-Lipp. 24. Mart.

I. Polygamia omnino prohibita eſt. II. Clericis ſive Verbi miniſtris licet eſſe uxoratis. III. Nec omnibus prohibitæ ſunt ſecundæ nuptiæ, nec clericis. IV. Decalogus norma eſt & regula perfecta actionum bonarum. V. Malè exterminatur ex præceptis decalogi præceptum II. & in duo præceptum X. divellitur.

BIBLIOTHECÆ THEOLOGICÆ CONTRACTÆ

LIBER I.

PRÆLOQUIUM.

PAucis cum bono Deo perſecuturi paginis *Scriptores ſacros & eccleſiaſticos*, prolixo ſuperſedebimus proœmio, quo hujus utilitatem ſtudii commendemus. Sufficiat ſcopum nobis propoſitum indigitaſſe; qui hic potiſſimùm erit, ut anſam ſtudioſæ juventuti præbeamus adeundi piam & eruditam antiquitatem; doctores, quo quisque ſeculo puriori aut impuriori vixerit, dignoſcendi, & promtius denique inveſtigandi cùm variorum in ſ. ſcripturam

commentarios, tum fidei dogmata & accuratiùs explicata & contra hæreſes defenſa. Prolixi hîc ſunt *Tritheмius*, *Gesnerus*, *Sixtus Senenſis*, *Suffridus Petri*, *Gerhardi*, *Poſſevinus*, *Bellarminus*, *Voëtius &c.* Quos, cui libet, adeat; nobis hoc compendio eruditorum memoriæ conſulere eſt animus. Duos verò bibliothecæ hujus contractæ facimus libellos, quorum prior *Doctores* ſecundùm temporis, quo vixere, ordinem per ſecula XV ad Reformationis eccleſiæ tempora totidem capitibus complectitur: poſterior à Luthero *Recentiores* non ex ordine, (id ſiquidem propter numerum eorundem fermè innumerum compendio fieri non potuit) ſed pro materiæ, cui quisque tractandæ operam impendit, varietate, in claſſes aliquot diſtribuit.

CAP.

CAPUT I.

De ſanctis ſacri Codicis ac reliquis primi à nato Christo ſeculi Scriptoribus.

I. Præmittendi autem omnino erunt LIBRI SCRIPTURÆ CANONICI. Quibus ſtatim adjungemus varias *Bibliorum editiones & translationes*, quæ quidem in amplo aliquo eccleſiarum tractu uſitatæ ac præ cœteris celebriores fuere, etiamſi opera & ſtudio productæ ſint eorum, qui ſubſequentibus ſeculis vixerunt. *Apocryphos* item, *id eſt*, dubiæ fidei & autoritatis ſcriptores, ideoque occultandos & minimè in eccleſia ex ambone legendos. Inde ad reliquos *Sacros ſcriptores* per ſingula ſecula enarrandos, deſcendemus.

II. Notum eſt, ſubſequentes ſ. Codicis libros (hodie quidem) divinos & canonicos reputari ab omnibus qui ſcripturam V. & N. T. ad-

mittunt: Veteris quidem T. LEGEM ſeu *Moſis libros quinq;*: HISTORICOS, *Joſuæ, Judicum, Ruthæ, duos Samuelis, duos Regum, duos Chronicorum, Esdræ, Nehemiæ* ſeu *Esdræ ſecundum, Eſtheræ*: POETICOS, *Jobi, Pſalterum, Proverbiorum, Eccleſiaſtæ: Cant. Canticorum* PROPHETICOS *quatuor majorum prophetarum & duodecim minorum.* Hoſce ſiquidem ſecundùm Judæorum canonem Hebraicé & partem aliquam Chaldaicé exaratos exhibent ubicunque excuſa biblia Hebraica. Novi vero T. ſcripta IV. EUANGELISTARUM: ACTORUM APOSTOLICORUM: EPISTOLARUM APOSTOLICARUM, *quatuordecim Pauli, unius Jacobi, duarum Petri, trium Johannis, unius Judæ* & APOCALYPSIN.

III. Hodie, inquam, extra controverſiam poſita eſt dictorum librorum authoritas, dubitatum ſiquidem olim fuit à quibusdam Chriſtianis *de libro Eſther* ob appendicum

la-

laciniàs in apocryphorum ordinem poſtea rejectas: *cap. ultimo Marci*, propter unam & alteram periodum quibusdam editionibus in fine à Manichæis aſſutam, itidem poſtea reſectam. *Hiſtoriâ de ſudore Chriſti ſanguineo*, Luc. XXII. v. 43. 44. quòd in quibusdam codicibus non reperiretur: *Hiſtoriâ de muliere in adulterio deprehensâ*, Joh. VIII. à ℣ſ. 1. ad 12. Ob eandem cauſam, *Epiſtolâ ad Hebræos*, quam Pauli eſſe quidem negabant: *Jacobi* ob eandem incertitudinem: *Petri poſteriore*, quòd frivolé contra ipſum teſtimonium Petri 2. Ep. III. 1. itidem de ejus authore dubitaretur: *Johannis ſecundâ & tertiâ*, quòd quidam illas alii cuidam Johanni presbytero adſcriberent: *Judæ* propter allegata duo teſtimonia apocrypha ex *libro Enoch* & qui inſcribitur *Aſſcenſio Moſis*: denique *Apocalypſi* quippe quæ aliena à dictione & lingua Johannis euangeliſtæ videretur.

IV. Dicti verò ſacræ ſcripturæ libri divina benignitate ac providentia editi atque ad nos traducti ſunt. Quarum editionum originales ſunt; HEBRAICA quidem V. T. GRÆCA verò N. exceptis paucis quibusdam *Chaldaicè* ſcriptis particulis ℣. ſcil. 11. c. X. Jer. *Esdræ*, à ℣ſu 8. c. IV. usque ad ℣ſ. 19. c. VI. ut & à ℣ſ. 12. ad 27. c. VII. quibus regum præcipuè dicta αὐτολεξεὶ recitantur; & *Danielis* à c. II. ℣ſ. 4. ad finem c. VII. quibus deſcriptio rerum non ad eccleſiam ſolùm ſed ad ſtatum totius orbis pertinentium, continetur.

V. Porro qui aſſerunt Matthæum *Euangelium* ſuum ſcripſiſſe Hebraicé, poſtea à viro apoſtolico in Græcum, quo & tanquam authentico uſa ſit eccleſia primitiva, verſum, antiquisſimos Patres conſentientes habent. Hodie tamen viris eruditis Græca eſt ob rationes quasdam originalis, adeò ut res in dubio hæreat.

Mar-

Marcum verò Latinè, & *Paulum* ad Hebræos Hebraicé ſcripſiſſe, vix unius aut alterius non adeò vetuſta authoritate, confirmari poteſt. Emiſerunt in lucem annis ſuperioribus *Munſterus* euangelium Matthæi & epiſtolam ad Hebræos. *Joh. Tilius ep. Meldenſis* itidem euangelium Matthæi Hebraicé: Sed utrumque balbutire & plena barbarie ſuum prodere ſtylum obſervarunt, quotquot ultra vulgus Hebraicé peritorum, indolem linguæ ſanctæ penitius perſpectam cognitàmque habent.

VI. Atque hæ ſunt editiones ſcripturæ originales, quarum ἔκτυποι ſunt variæ varias in linguas translationes. E quibus conſiderandæ nobis præcipuæ: *Orientales* nimirum aliæ Hebraicæ cognatæ, *Græcæ* & *Latinæ*.

VII. *Orientales* ſunt totius V. T. *Chaldaica*, liberior paraphraſis potiùs quàm verſio, *Thargum* Judæis dicta: interpretem agnoſcens paulò

ante Chriſtum natum *Jonathanem Vzielis* filium, in libris Joſ. Jud. Sam. Reg. Eſa. Jer. Ezech. & prophetis 12. minoribus. In pentateucho verò poſt Chriſtum natum *Onkeloſum*: in reliquis denique *Joſephum* quendam cœcum, cui aliqui *Aquilam*, alium ab Onkeloſo illo, adjungunt. Onkeloſum *Paul. Fagius*, reliquos cum bibliis in fol. edidit *Buxtorffius*. N. verò T. SYRIACA, præter pauculas partes, de quibus olim dubitatum, utrum eſſent in canone, Epiſtolas videlicet *Petri* II. *Joh.* II. *Joh.* III. & *Judæ*, quas *Peakok Anglus*: & Apocalypſin, quam *Lud. de Dieu* ſeorſim ediderunt. HEBRAICA item N. T. *Eliæ Hutteri*. Exſtant tamen etiam utriusque T. verſiones, *Arabica*, *Perſica*, *Syriaca*, *Armenica*, *Æthiopica*, nondum tamen plené editæ.

VIII. Græco ſermone, quod certum eſt, exſtitere V. T. verſiones quatuor. I. SEPTUAGINTA INTERPRETUM facta Phtolomæi Phi-

Philadelphi juſſu. Tres reliquæ ſecundo poſt Chriſtum ſeculo adornatæ in odium Chriſtianorum à totidem ad Judæismum apoſtatis; ſecunda ſcil. ab AQUILA PONTICO, tertia SYMMACHO, quarta THEODOTIONE. Haſce quatuor verſiones primâ curâ uno volumine per quatuor diſtributas columnas edidit *Origenes* inſcripsitque *Tetrapla.* Quibus ſecundâ curâ idem adjecit duas columnas bis textum Hebræum continentes, Hebraicis nempe & Græcis characteribus, appellavitque *Hexapla:* deniquè curâ tertiâ adhuc alias columnas duas, duas diverſas Græcas habentes in doliis repertas, Hierichunti alteram, alteram Nicopoli: vocavitque *Octopla.*

IX. Cœterum ut religioſum hunc laborem tempus nobis invidit, ita ſola LXX nobis ſupereſt: Et fortaſſe neque hæc. Etenim eſſe illam, quæ Græcè hodiè exſtat, LXX interpretum, docti non omnes conce-

dunt. Laudantur & *Heſichii*, *Luciani martyris* & *Origenis* verſiones, quas tamen emendationes ſolùm fuiſſe, Hieronymus in præf. ad Paralip. non obſcurè docet.

X. Superſunt *Latinæ*: quarum initio plurima imò innumera fuere, teſte Auguſtino l.II. de doctr. Chriſtiana c. 11. unoquoque pro lubitu interpretandi partes ex Græco ſibi ſumente, quas inter una communior, VETUS & ITALA dicta, excelluit. Quibus acceſſit *verſio* V. T. HIERONYMI primum ex Græco, ipſo teſte l. II. contra Ruffinum: Deinde *alia* ex ipſo fonte, quod in præfationibus hinc inde docet: cui N. T. *verſionem vulgatam* ſive *veterem* ipſe ſubjunxit à mendis tamen & erroribus pluribus emaculatam: *Vide ejuſdem in euang. præfat.* Nec poſt Hieronymum quisquam novam verſionem aggreſſus eſt, niſi quòd *Nicolaus de Lyra* ultra annos nongentos, & poſt eum integro penè ſeculo *Pau-*

lus Burgenſis uterque ex Judæo Chriſtianus vulgatam verſionem, id eſt, Hieronymi illam hominum incuriâ maximè corruptam, paucis in locis emendare conati ſint.

XI. Donec ſub finem ſeculi XV. & ſubſequenti reſtituta Dei beneficio linguarum cognitio viros quosdam doctos ad adjuvandam hac in parte eccleſiam incitavit. Sed *emendationem* ſolùm *Vulgatæ*, ut vulgò loquimur, *verſionis* aggresſi, quoad N. T. *Laurentius Valla*, *Jacobus Faber Stapulenſis*, *Johannes Gagnæus Sorbonicus* ſuis in N. T. ſcholiis, & *Benedictus Arias Montanus* in verſione interlineari, quâ vulgatam plurimis in locis à Græco diſcedentem ad marginem relegavit. Quoad totam verò ſcripturam *Thomas de Vio Cardinalis Cajetanus* exceptis *Cant. cantic. Prophetis & Apocal.* omnino etiam integram *Iſidorus Clarius* pontificii, *Conradus Pellicanus* reformatus & *Lucas Oſiander filius* Lutheranus. Nec disſimu-

cæ linguæ Pariſienſis eſſe putarunt, eo quòd Henricus Stephanus eam Pariſiis edidiſſet hac inſcriptione; *Cum verſione & notis Vatabli.* Decepit inſcriptio ipſos Hiſpanos, quibus ea verſio adeò placuit, ut Salmanticæ typis recuſa fuerit, quam tamen, ſi ſciviſſent Reformatorum eſſe, ad orcum potius damnaſſent. JOHANNES PISCATOR. At vetus ſolùm T. verterunt SEBASTIANUS MUNSTERUS: IMMANUEL item TREMELLIUS collatâ cum genero FRANCISCO JUNIO operâ. Ut N. duntaxat ERASMUS ROTERODAMUS & qui huic aliiſque omnibus palmam præripit THEODORUS BEZA.

XIII. Miſſis aliis vulgarium linguarum verſionibus Germanicis *Lutheri, Dietembergii, Emſeri & Piſcatoris:* Gallicis *Genevenſi & Lovanienſi:* Anglicis *Alani quæ Pontificia, & reformata veteri atq; recentiore:* Belgicis *antiqua & nuper elaborata:* Hiſpanica *Cypriani*

de Valeria: Italica *Antonii Brucioli & Joh. Theodati &c.* Duo cumprimis Bibliorum editiones laudaſſe operæ precium erit, COMPLUTENSEM alteram operâ & impenſis *Franc. Ximenii* archiep. Toletani; alteram Antwerpienſem ſeu REGIAM ſumtibus *Philippi II.* Hiſpaniarum R. editam: illa Hebraicam, Græcam LXX. Vulg. Latinam & Chaldaicam, at ſolius Onkeloſi in pentateuchum, editiones complectitur: hæc inſuper Chaldaicam totam, cum aliis duabus *Latinis* é Græco ſcil. LXX & Chaldaica. N. verò Teſt. Græcam, Syriacam & Latinam.

XIV. Superſunt recenſendi APOCRYPHI, ſed in duplici differentia: alii enim ut utiles retenti ſunt & canonicis quandoque inſerti vel ſubjuncti, aliis plane rejectis & damnatis: ab hæreticis ſiquidem & pravis authoribus ſub nomine ſanctorum in vulgus emisſis.

XV. Ad priorem claſſem ſpectant:

ſtant, qui vel in ſolis Græcis bibliorum exemplaribus, neglecti in codicibus Latinis, exſtant, ut *Appendix libri Jobi*, id eſt, verſiculi aliquot Jobo in fine ſubnexi: *Pſalmus* 151. *Jeremiæ epiſt. ſecunda* Barucho ſubjuncta: *liber III. & IV. Maccabæorum*: vel in ſola Latina vulgata leguntur, ut *Oratio Manaſſæ*: *Eſdræ liber IV. Appendix Syracidæ.* Vel denique qui pariter in Græcis & Latinis vulgatis habentur: *Verſus* 1. *lamentationum Jeremiæ. Tobias: Judith: Eſdræ lib. III. Adjectiones ad Eſther* à c. 10. ad finem *Sapientia*: *Eccleſiaſticus Jeſu Syrach*: *Baruch, Adjectiones ad Danielem*: *Hymnus* trium puerorum inſertus c. 3. & *fabula* de Suſana, De Bele & Dracone, de Habacuco c. 13. & 14. *Libri Maccabæorum* I. & II. Ex quibus omnibus tamen aliquos Canonicis annumerant Pontificii, ut alibi docetur.

XVI. Apocryphi poſterioris claſſis ſunt V. quidem T. *Liber Enoch* & *Aſſenſio Moſis* à Juda in ep. citati. *Adami*

dami revelatio: Abrahami apocalipſis. Teſtamentum XII *Patriarcharum: Prophetia Balaam &c.* magno numero à patribus citati, ſed dudum ſuppreſſi. N. T. *Epiſtola Dn. Jeſu ad Abagarum* Edeſſæ principem exſtans apud Euſebium & Baronium: *Canones Apoſtolici* tomo Conciliorum I. *Apoſtolicarum conſtitionum* à Clemente conſcriptarum libr. 8. *Liturgiæ* ſive *Miſſæ Jacobi Apoſt.* Pariſiis; *Petri* à Lindano editæ: *Matthæi* quæ & *Æthiopum* dicitur & *Marci* in bibliotheca Patrum. *Jacobi Maj. fundamentum eccleſiæ* in Hiſpania; *Ejusdem Proteuangelium* in Germania excuſum: *Epiſtola Pauli ad Laodicenſes* ap. Sixtum Senenſem. *Ejusdem epiſtolæ* ad Senecã: & *Senecæ* ad Paulum ap. eundem. *Canones* VIII. *Concil. Antiocheni* tom. I. Concil. *B. Mariæ una ad Ignatium* ap. Sixtum. *Una ad Florentinos* ap. Caniſium, *una ad Meſſanenſes* in Siciliâ ab hiſce reverenter adſervata. Et ſatis

tis etiam de Apocryphis, quorum plurimi quidem alii apud veteres exſtitere, rejecti tamen & aboliti jam plerique ſunt.

XVII. Supereſt altera capitis pars de ECCESIASTICIS SECULI PRIMI SCRIPTORIBUS. Nota verò ſcriptores hoc primo libro in tres periodos commodè diſtribui poſſe. Quarum prima ſe extendit ad ſeculum VII. & PATRUM κατ' ἐξοχὴν vocatur: altera ad medium ſeculi XII. quæ MEDIA: tertia denique ad *Lutherum*, quæ SCHOLASTICORUM. Cum verò non tam ſtudio quàm cælitus afflatu Spiritus S. miraculis & ſubinde etiam martyriis divina veritas hoc ſeculo I. contra *Ethnicos*, *Judæos*, *Simonis magi aſſeclas*, *Menandrum*, *Saturninum*, *Balilidem*, *Eſionem* & *Cerinthum* ab Apoſtolis eorumque diſcipulis propagaretur: inſuper ne alia, cum Apoſtolicis & Canonicis ob vicinitatem temporum confunderentur ſcripta; fermè ſolis

lis Apoſtolicis ſcriptis hoc ſeculum Deus voluit nobilitatũ. Hinc quanquam fortè dubitandum non ſit, de quibusdam IGNATII *epiſtolis*, & illa CLEMENTIS *epiſc. Romani ad Corinthios*, quæ ante annos XXVII. Oxonii luci reddita eſt, ultra duos illos Judæos Helleniſtas PHILONEM ALEXANDRINUM V. T. allegoricũ interpretem atque JOSEPHUM MATATHÆI filium, nobilem Judaicæ gentis ſcriptorem. Reliqua tamen, quæ à nonnullis commendantur h. ſeculi ſcripta vel rejectanea prorſus ſunt & ὑπόβλητα, aut certè integrè & ſine ſuſpicione falſi ad nos minimè pervenerunt.

XVIII. In hunc ergo cenſum veniunt *Ignatii Antiocheni pleraq; epiſtolæ*, & *reliqua Clementis opera*, nempe *Conſtitiones apoſtolorum*, *de quibus jam antè*, *Recognitiones*, *Epiſtolæ reliquæ*, utut plurima ab antiquis laudata, quæ hodie perierunt, ſcripſerit. *Vitæ Petri*, *Lini*, *Cleti & Clementis* epp. Rom. ex libro

libro Pontificali Damaſi Papæ tomo 1. Concil. Regiorum inſertæ. *Ariſteæ hiſtoria* de LXXII. ſcripturæ interpretibus; ſi ea in hoc ſeculum referri velit, ſe enim à Phtolomæo ad LXXII. interpretes adducendos (quod factum 360. ann. ante N.C.) ablegatum ait. *Epiſtola Lentuli* ad S.P.Q.R. Antiquisſimus item liber *Paſtor* ſive *paſtoralis* dictus & *Hermæ* Pauli diſcipulo de quo Rom. XVI. 14. attributus. *Prochori* unius è ſeptem diaconis Act. VI. 5. *de vita ſ. Johannis apoſtoli. Abdiæ Babylonii libri X. de hiſtoria certaminis apoſtolici. Dionyſii Areopagitæ* (Act. XVII. 33.) *de cœleſti hierarchia; eccleſiaſtica hierarchia; myſtica Theologia, divinis nominibus; epiſtolæ variæ. Martialis* epiſc. Lemovicenſis, & *Polycarpi* Smyrnenſis *epiſtolæ: vita* Martialis ab *Aureliano* ſucceſſore, *Pasſio Petri & Pauli à* Lino, *Pasſio S. Andreæ* apoſt. per presbyteros eccleſiarum Achajæ ſcripta; *Acta Pauli & Theclæ; Joſephus BenGorion* ſeu *Pſeudogo-*

dogorionides de bello Judaico. Quanquam pleraque ex hiſce ſuos defenſores reperiant. Sic ad ſecula ſubſequentia progrediemur: modò præmiſerimus commendatione inſignium duorum operum, alterius BIBLIOTHECÆ PATRUM, in qua Baſilienſes primum, inde & majori tomorum numero Pariſienſes, & Colonienſes exhibent, quicquid eſt ex omni antiquitate minutiorum Patrum & ſcriptorum eccleſiaſt. Alterius OPERIS CONCILIORUM, quo Colonienſes & poſt Veneti nuper autem tam generalia quàm Provincialia concilia tomis XXXVII. Regiis ſumtibus magnificè ediderunt Pariſienſes.

CAPUT II.

De ſecundi à nato Chriſto ſeculi Scriptoribus.

I. VIx alia eccleſiæ SECULO SECUNDO facies exſtitit, quàm pri-

primo: uti enim in illo contra Ethnicos, Judæos varioſque hæreticos pugnandum fuit; ita & in hoc contra *Ethnicos* Philoſophos, eorumque jactatam ſuperſtitionum antiquitatem: contra *hæreticos*, vel pluralitatem deorum ſive principiorum introducere volentes, ut *Gnoſticos* & *Valentinianos*: vel divinitatem Chriſti abnegantes, ut *Carpocratem*: contra *Judæos* denique abrogationem rituum ſuorum ægrè ferentes. Produxit autem hoc ævum ſcripta paulò plura, quòd miracula ederentur rariùs, & eruditione magis operâ & induſtriâ acquiri, quàm è cœlo immediatè exſpectari neceſſe erat, receptâ jam paſſim per orbem terrarum doctrinâ euangelicâ.

II. Contra jam nominatos hoſtes, cùm ore tum ſcriptis inſurrexerunt eccleſiæ doctores VI. ſequentes. Primus quidem circa medium ſeculi JUSTINUS gente Samaritanus, martyr & philoſophus, editis *Apologiâ*

geminâ pro Chriſtianis: Parænesi ádgentes: *Dialogo habito cum Tryphone* pereruditio Judæo: *libro* denique *de Monarchia* i. e. uno Deo ſeu rerum principio. Secundus ATHENAGORAS Athenienſis, philoſophus & Chriſtianus, legatione eadem fermè ætate pro Chriſtianis ſuſcepta & *Apologia* exhibita Impp. M. Aur. Antonino & Aur. Commodo contra *Idololatras*: *& Libro de Reſurrectione*, quā gentiles irridebant. Tertius THEOPHILUS ep. Antiochenus *libris III ad Autolycum contra calumniatores religionis Chriſtianæ*. Cæterùm ut trium horum patrum jam enarrata ſcripta ex pluribus aliis ad nos ſolùm pervenerunt; ita reliqua, quæ iisdem in editionibus asſcripta vides, in dubiis haberi, judicabis.

III. Quartus TATIANUS eſt Juſtini mart. auditor, author florentisſimæ contra *gentiles Orationis*: ſed hic ad Encratitarum hæreſin poſtea defecit. Quintus IRENÆUS, ep.

epiſc. & martyr., Polycarpi alio-rumque, qui apoſtolos audiverant, diſcipulus; à quo *libri V. contra Gnoſticorum & Valentini hæreſin* ſuperſunt, perdoctè quidem ſed obſcurè ſcripti. Exſtant Latinè ſolùm, ut, an Græcè ſcripſerit hic martyr, docti ambigant, exceptis tamen XXVII capp. l. 1. Græcè ab Epiphanio Panario ſuo inſertis.

IV. Sextus tandem ſub finem planè hujus ſeculi (& initium ſequentis) TERTULLIANUS AFER Carthaginienſis presbyter, ſcriptis hoc catalogo clarus: de *Patientia: Carne Chriſti: Reſurrectione carnis: Præſcriptionibus adverſus hæreticos: adverſus Judæos: Marcionem: Valentinianos: Hermogenem; Praxeam: de Corona militis: ad Martyres: de Pœnitentia: de Virginibus velandis: Habitu muliebri: Cultu fœminarum: ad uxorem ſuam: Scapulam: de Teſtimonio animæ: Anima: Baptiſmo: Pallio: Idololatria: Scorpiaco contra Gnoſticos: de Oratione: ſpectaculis:*

Apo-

Apologetico adverſus gentes. Sacris quibusdam poëmatis & Græcorum operum fragmentis. Defecit verò in Montani hæreſin, quâ abreptus contra Eccleſiam ſcribere non erubuit libros, *de Fuga in perſecutione: Exhortatione caſtitatis: Monogamia: Pudicitia: Jejunio.* Sed hi prioribus *probabilibus*, ut Hieronymus loquitur, *detraxerunt authoritatem.* Adulterini autem planè ſunt *de Trinitate: Cibis Judaicis: Definitiones eccleſiaſticorum dogmatum: Notulæ epiſtolarum*; quorum in claſſem etiam à quibusdam liber *de Pœnitentia* trahitur.

V. *Fragmentum Concilii Palæſtini* ſeu Cæſarienſis *Victoris* ep. Rom. tempore habiti, ex Beda de æquinoct. vernali ſupereſt t. 1. Concil. Quemadmodum & *Melitonis Sardenſis epiſc. & Hegeſippi*, (h. ſeculi authorum) operum catalogum & fragmenta ſolùm exſtant apud Euſebium. Illius verò liber *de tranſitu Mariæ*, & hujus *de Excidio Hieroſolymitano* ſup-

poſi-

poſititii ſunt. Sicut & *vitæ* atque *epiſtolæ decretales Romanorum Pontificum Anacleti, Evariſti, Alexandri, Sixti, Teleſphori, Hygini, Pii, Aniceti, Soteris, Eleutherii & Victoris*, in tomis Conciliorum.

VI. Sufficerent hæc de Scriptoribus II. ſeculi, ad quos etiam interpretes V. T. Græcos pertinere diximus cap. I. n. IX. niſi adhuc mentio facienda eſſet THALMUDIS BABYLONICI ſeu *Corporis legum Judaicarum ſola traditione aſſervatarum*. Collegit eas, ne cum diſperſione Judæorum interirent, *R. Jehudah*, ex iisque *librum* MISCHNAIOTH ſive *Traditionum in VI. tractatus* (qui textum Thalmudis conſtituunt) digeſtum confecit. Reliqua enim Thalmudis GEMARA dicuntur, & Rabbinorum Babylonicorum per ſubſequentia tria ſecula in Miſchnam *commentationes, diſputationes ac deciſiones ſunt*. Abſolutum enim demum ipſum Thalmud ex Miſchna & Gemara conſtans anno

Domini 500. Argumentum VI Thalmudis tractatuum hoc verſiculo cõtinetur:

Semina, feſta, uxor, nocumentum, victima, munda, id eſt, primus liber agit de uſu ſeminum ac fructuum; alter de feſtis; tertius de matrimonio; quartus de damnis horumque pœnis & compenſationibus; quintus de rebus ſacris ac ſacrificiis; ſextus de munditie ſupellectilium & pollutorum mundatione.

CAPUT III.

De tertii à nato Chriſto ſeculi Scriptoribus.

1. SIc ergo ſuccedit SECULUM III, quo eadem ferè eccleſiæ fuit conditio, ſævientibus in Chriſtianos Imperatoribus ethnicis Maximino, Decio & Diocletiano; ac hæreticis plurimis, vel unitatem Dei *cum Marcionitis & Manichæis*, vel divinitatem Chriſti *cum Paulo Samoſateno* majori

adhuc niſu impugnantibus. At oppoſuerunt ſe hiſce adverſariis Chriſtiani more majorum, cùm nec doctores pietate ac eruditione etiam ſeculari præſtantes deeſſent, nec prorſus evanuiſſet donum miraculorum, nec deferbuiſſet animus ſanguinem pro veritate fundendi. Reperti ergo ſunt, & qui hæreticis gentilibusque obſtiterint, & qui diligentius, quàm hactenus factum, ſcripturarũ interpretationi ac verſioni operam navarint.

II. Eorum itidem VI à nobis præcipuè hîc laudandi ſunt: quos inter familiã ducit qui extrema ſec. præcedentis jam illuſtraverat, CLEMENS ALEXANDRINUS in Aſia presbyter, vir omni doctrinæ genere inſtructiſſimus, cujus luculenti teſtes, hodieque ſunt, VIII *Libri ſtromatum*: III *libr. quos Pædagogum inſcripſit & Oratio ad gentes exhortatoria. Adumbrationes* enim ſive *ſcholia in epiſt. canonicas* alterius eſſe judicant. Fuit ejus coæ-

taneus MINUTIUS FELIX inſignis cauſidicus Romanus, qui poſteriati reliquit ſuum *Octavium*, id eſt, dialogum inter Octavium Chriſtianum & Ethnicum Cæcilium pro Chriſtianis apologeticum.

III. At diſcipulus Clementis ejusq; in presbyterio ſub initium functionis ſucceſſor ORIGENES eſt, ob infatigabile ſtudium *Adamantius* dictus, quippe quem ſex librorum millia ſcripſiſſe ferunt. Author hic eſt editionis aliquot diverſarum S. codicis verſionum conjunctarum, qua de n. VIII c. I. actum. Superſunt ejus *in univerſam fermé ſ. ſcripturam Commentarii*, ſed in allegoricum detorta ſenſum minus probanda fortè ratione: & tractatus quidam alii. *Libri VIII. contra Celſum Epicureum: de Philocalia: de Suſannæ hiſtoria epitome.* Non tamen Origenis fœtum eſſe volunt plurimi; *Commentarios in libr. Job: Pſalmos: Canticum Canticorum: Threnos; Dialogum contra Marcioniſtas,*

ſive

ſive de recta in Deum fide. Cæterùm ſtupendæ eruditionis fiduciâ multa variarum hæreſeon ſemina ſparſiſſe videtur; unde & à veteribus plerisque hæreticus proclamatus eſt, ab aliis tamen defenſus. Monet hæc, etiam recentiorum dd. diſſenſio, Origenem cautè legendum eſſe.

IV Quartus, circa medium ſeculi, eſt GREGORIUS Neocæſarienſis in Ponto epiſc. ob miraculorum edendorum virtutem THAUMATURGUS, antea & *Theodorus*, dictus. hujus opera indubitata habentur: *Panegyricus præceptori ſuo dictus: Metaphraſis in Eccleſiaſten; Brevis fidei confesſio & Epiſtola canonica.* Cætera doctorum cenſuram adhuc experiuntur. Eadem ætate Carthaginis eccleſiam rexit CYPRIANUS vir eloquentisſimus & martyr, à quo ſequentia habemus monumenta *Libros VI epiſtolarum*, in quibus referimus *Scriptum ad Jubajanum de baptizandis hæreticis & ad Pompejum contra Epiſtolam Stephani Pa-*

pæ: de habitu virginum: Lapſis: Simplicate prælatorum ſive de unitate eccleſiæ: Oratione Dominica: contra Demetrianum: de Idolorum vanitate, Mortalitate, Eleemoſyna, Bono patientiæ, Zelo & livore, Exhortatione martyrii: Ad Quirinum contra Judæos: Novatianum de ſpe veniæ lapſis non neganda. Cenſuit Gelaſius in Concil. Rom. *Opuſcula Cypriani apocrypha eſſe*: ſed id factum propter tractatus de hæreticorum rebaptizatione editos, facilè judicare eſt. Interpolatum tamen *lib. de Unitate eccleſiæ*; *Epiſtolam item ad Stephanum Romanum Epiſc.*, quæ Pamelio LXVII. eſt, demonſtrarunt ex ipſis Pontificiis quidam. Reliqua Cypriano adſcripta vel manifeſtò eius non ſunt, vel, an ſint, adhuc dubitatur.

V. Ultimus denique Scriptorum celebriorum hujus ordinis ARNOBIUS eſt Afer, ex pagano Chriſtianus: quam ſuam fidem *Libris VII contra gentes conſcriptis* hodie ſuperſtitibus teſtatus eſt. Alteri vero *Arnobio*

nobio cuidam vendicantur. *Commentarii in pſalmos & Annotatiunculæ in varios locos Euangelii.* E XIX habitis hoc ſeculo conciliis ſolius *Carthaginienſis* III. uti & *Antiocheni* I. & II. *acta* habentur. Exigua admodum ſuperſunt *Ammonii Alexandrini: Cornelii Papæ: Pontii diaconi & Dionyſii Alexandrini.* Quicquid verò hujus ſeculi ſcriptorum *Hyppolyto Martiri: Sixto II. Epiſc. Romano: Zenoni Veronenſi: Victorino Pictavionenſi: Methodio martyri: Euſebio Alexandrino & Dorotheo Tyrenſi,* adſcribitur; nec non *vitæ & epiſtolæ decretales Pontificum Zephyrini, Calixti, Vrbani, Pontiani, Anteri, Fabiani, Cornelii, Lucii, Stephani, Sixti II. Dionyſii, Felicis, Gaji, Marcellini; ſubleſtæ fidei eſſe à criticis demonſtratur.*

VI Fœtus denique hujus ætatis eſt THALMUD alterum HIEROSOLYMITANUM, à Palæſtinis Judæis duce *R. Jochanan* confectum. Sed hoc minoris, Babylonyco, authorita-

ritatis eſt. Sicut & Scholæ, quæ in Palæſtina præſertim Tyberiade, celebres fuerunt, exſtinctæ ſunt & fama eruditionis in Babylonicas, Nahardeenſem, Soranam & Pumbedithanam tranſiit.

CAPUT IV.

De quarti à N. C. ſeculi Scriptoribus.

I. PRocedit SECULUM IV, quo eccleſiæ quidem pax reddita à tyrannide Romanorum Imperatorum, nomen Chriſti jam profitente Conſtantino M. quo item non tam vehementes à Gentilibus & Judæis, inſulſis quoque & incomtis hæreticis, ut hactenus, impetus in eccleſiam facti ſunt: Ariana tamen in ſpeciem probabili hæreſi eccleſiam tantùm univerſam non occupante; Macedoniana item ſuperveniente, non leviter eadem concuſſa eſt. Quò tamen acriùs veritas

tas infeſtata fuit, eò pluribus doctioribusque ſcriptoribus Catholicis illa aſſerta eſt. Ferax enim fuit divinâ providentiâ ſeculum hoc hominum piorum ac eruditorum operam omnem adhibentium cùm hæreſibus retundendis tum ſcripturis dextrè interpretandis.

II. Haud immeritò verò ſacris hujus ætatis ſynodicis & publicis ſcriptis primum tribuerimus locum *Symbolo* nimirum, *Canonibus* XX. *aliis etiam* LXXX *ex Arabico*, *cæterisq; actis* SYNODI *œcumenicæ primæ* NICÆNÆ, *contra Arium Alexandrinum presbyt. habitæ. Symbolo*, *Canonibus & reliquis actis* CONSTANTINOPOLITANÆ *œcumenicæ ſecundæ, contra Macedonium epiſc. Conſtantinopolitanum coactæ. Canonibus* denique *& actis* cum aliorum conciliorum non œcumenicorum circiter XL. tum imprimis, quorum authoritas poſtea magna fuit, *Ancyrani*, *Neocæſarienſes*, *Laodiceni Gangrenſis & Antiocheni* ex LXXXVII

in univerſum hoc ſec. celebratis adhuc reſiduis. Inſertæ tomis conciliorum ex libro Pontificali. *Vitæ & epiſtolæ decretales Pontificum Rom.* incertæ fidei non minus quàm ſuperiores habentur.

III. Sic ordine ſequuntur S. *Scriptores* XXX. quos ſub initium ſeculi ducit grandis jam ætate LACTANTIUS FIRMIANUS, lacteæ quidem eloquentiæ homo, ſed cujus opuſcula relicta. *lib. VII Divinarum inſtitutionum : de Ira : de Opificio Dei & Epitome divinarum inſtitutionum*, à Manichæo quodam interpolata videntur, damnata inde in concilio Romano à Gelaſio ad apocryphorum ordinem. *Carmina* Lactantio adſcripta alius eſſe poëtæ creduntur. Genuini verò ſunt, qui JUVENCO presbytero Hiſpano attribuuntur *de Evangelica hiſtoria carminum libri IV.* Tertium locum ſibi vendicat EUSEBIUS CÆSAREENSIS in Palæſtina epiſc. author indubitatus *librorum de Euan-*

gel

gelica præparatione : de Euangelica demõſtratione : Hiſtoriæ eccleſiaſticæ : librorum de Vita Conſtantini ; de Philoſophorum diſenſione : Chronici : adverſus Marcellum Ancyræ epiſc. adverſus Hieroclis hæreſin : & de Theologia eccleſiaſtica. At de laudibus & nævis Euſebii, veris item falſiſque narratis doctores tam veteres, quàm recentiores contendunt.

IV. Proximi hiſce ſunt duo eccleſiæ doctores & epiſcopi maximi; alter ATHANASIUS Alexandrinus, qui multa quidem eaque plæclara ingenii & pietatis monumenta poſteris reliquit, at tot nothis & ſuppoſititiis ſcriptis contaminata, ut è tribus eorundem tomis vix duo priores genuini reputentur. Nobis ob brevitatis ſtudium eorundem texere catalogum hic non licet. (Adeundæ v. ſunt editiones cùm Athanaſii, Hieronymi, Auguſtini, tum aliorum qui plura, quàm hæ paginæ commodè capiunt, opera nobis reliquerunt;

rũt; id quod ſemel monuiſſe precium operæ duximus.) Alter HILARIUS Pictavienſes Gallus: cujus *libris de Trinitate adverſus Conſtantinum Auguſtum: adverſus Auxentium Arianum: de Synodis adverſus Arianos: In Matthæum Commentariis: item in Pſalmos aliquot: libr. de Eſſentia Patris & Filii* adhuc gaudemus. Reliqua vel *Hilarium Arelatenſem*, vel alium etiam *authorem* agnoſcunt.

V. Non minori polluit mentis perſpicacite circa ſeculi medium, quamquam corporis oculis captus, DIDYMUS ALEXANDRINUS. Dictavit ergo per notarios cùm alia, tum quæ adhuc ſuperſunt; *Commentaria de Spiritu S. in Epiſtolas canonicas & Librum contra Manichæos.* Numeratur tamen inter Origenis admiratores. Inferiores verò & eruditione ipſa & ſcribendi copia ſunt GREGORIUS BOETICUS Iliberi epiſcopus; PHOEBADIUS (Hieronymo Sebadius) Agennenſis in Gallia epiſc.

VICTO-

VICTORINUS, natione AFER, Rethor & LUCIFER (unde Luciferiani ſchiſmatici) Calaritanus *epiſc.* Duorũ priorum *de Fide contra Arianos librum* quisque ſuum edidit: Ille *contra Arianos & Comment. in epiſtolas Pauli*: hic denique ad *Conſtantinum Imperatorem: de Regibus apoſtaticis :: de non Conveniendo cum hæreticis :: de non Parcendo delinquentibus in Deum :: Quòd moriendum ſit pro Filio Dei :: Epiſt. ad Florentium.* Atque hactenus numerati *Scriptores* X ad medium usque ſeculi ſe extendunt. Pauca autem nec adeò certa ſunt quæ *Antonii, Pachomii, Oreſieſis & Macarii ſenioris* Monachorum: *Serapionis Thmyeos in Ægypto epiſc. & Julii Materni Firmici* nomina præ ſe ferunt. At ſuppoſititia veré ſunt Conſtantini M. Imp. *Edictum de donatione dominii & temporalis regni Romanæ ſedi collati*; atque Tito Boſtrorum epiſcopo & Euſebio Emiſſeno *adſcripta Opera.*

V I. Tranſimus ergo rectâ ad ſe-

culi partem alteram, quâ obviam nobis eunt ex *Græcis* itidem X. CYRILLUS nempe HIEROSOLYMITANUS epiſc. cujus exſtant *Catecheſes ad illuminatos* XVIII. quæ tamen nō ſine ſuſpicione interpolationis ex Pontificiis typographiis prodiere. *Catecheſes mystagogicæ V. Epiſtolæ item duæ ad Conſtantium Imper. & Auguſtinum adulterinæ ſunt.* Et BASILIUS M. patrum ſanctiſſimus graviſſimusque Cæſareenſis in Cappadocia epiſc. Ejus ſunt opera plurima, quæ à variis vario ordine in lucem emiſſa ſunt. At in ſuppoſititiis numerantur *Homiliæ* X. & XIa *in Hexaêmeron: Præfatio in Pſalmos: Homilia de jejunio: Liber de Spiritu ſ.* à cap. 15. ad finem: *Aſcetica ſeu quæſtiones compendio explicatæ: Quæſtiones fuſè explicatæ: Enarratio in Eſaiam: in Pſalmos: Conciones* XXVIII. Denique *Liturgia, ſive de ritibus ſacræ ſxnaxeos*, ita immutata eſt, decurtata, aucta, ut præter authoris nomen nihil ſit reliquum

ejus, à quo profecta dicitur: teſtantur id duæ editiones diverſiſſimæ Græca & ex Syriaca Latina.

VII. Succedunt duo GREGORII: alter Baſilii ſtudiorum ſocius NAZIANZENUS epiſc. *theologus* dictus, vir pietate & eloquentia inſignis. Cujus opera extra controverſiam æſtimantur, quæ ipſius titulo prodiere. Niſi quòd jam ſuprà *Gregorio Thaumaturgo* adſcripta ſit *Metaphraſis in eccleſiaſten*: partus etiam alieni reputentur *Significatio in Ezechielem*: *Tragœdia*, quæ inſcribitur *Chriſtus patiens*, *Teſtamentum Gregorii*: *Oratio in laudem martyrum*: *Tractatus de fide*: item, *de Fide Nicœnæ Synodi*. Alter Baſilii frater epiſc. *NYSSENUS* librorum copiâ ac doctrinâ duobus anteceſſoribus non multùm inferior. Exterminantur tamen ex operibus, ſub titulo Nyſſeni divulgatis, tanquam dubia: *Oratio in verba, Faciamus hominem*: *Orat. de hominis procreatione*; *Orat. catechetica magna*; *in eos,*

qui

qui differunt baptiſma : de dormentibus: de infantibus, qui maturè abripiuntur: Diſputatio de anima & reſurrectione cum ſorore Macrina : de Trinitate adverſus Judæos : de S. Trinitate : de differentia ſubſtantiæ & hypoſtaſeos; de vita S. Gregorii miraculorum opificis. Oratio de occurſu Domini & de Dei parente atq; de juſto Simeone : Epiſtola canonica ad Latoynum Mytilenes epiſc. libri tandem de Philoſophia VIII.

VIII. Eodem adhuc tempcre floruere EPIPHANIUS, ANDREAS CÆSAREENSIS & AMPHILOCHIUS: ille Salaminæ Cypri epiſc. poſteris ſcripſit; *Panarium contra omnes hæreticos : Ancoratum : Anacephalæoſin ſeu ſummam Panarii : librum de Menſuris & ponderibus : Epiſtolam ad Johannem epiſc. Hieroſolymitanum.* Iſte ep. Cæſareæ in Capp. Baſilii ſucceſſor *Commentaria in Apocalypſin.* Hic verò Iconii in Lycaonia epiſc. *pauciſſima. Vita enim Baſilii Magni* ſolùm Amphilochii nomen præſcriptum habet.

Paulò

Paulò poſt verò & circa ſeculi finem DIADOCHUS Photices in veteri Epiro epiſc. DOROTHEUS ARCHIMANDRITA & PALLADIUS Galata : illius eſt *de Perfectione ſpirituali liber*; iſtius XXIV *ſermones* exſtant; hujus denique *Commentarius de vitis multorum ſanctorum* Lauſiaca *inſcriptus*. Fidem tamen ultimo huic denegat Hieronymus.

IX. Scriptores præcipitantis ſeculi vidimus *Græcos*, ſuperſunt & *Latini* X. FAUSTINUS ſcil. Diaconus, cujus exſtant VII. *contra Arianos libri* ſatis eruditi *ad Faccillam Imperatricem*. PACIANUS Barcinonæ in Pyreneis jugis epiſc. cujus *Epiſt. 3. contra Novatianos* ſuperſunt. *De Paræneſi ad patientiam*, & *libr. de Baptismo* judicium ſuſpenditur. OPTATUS MILEVITANUS in Numidia Epiſc. cujus habemus VI. *Libros adverſus Donatiſtas*, ſeptimus enim adjectitius eſt. AMBROSIUS epiſc. Mediolanenſis magnum illud Latinæ eccle-

ſiæ

decus. Nos ex ſcriptis Ambroſii magno numero exſtantibus ſolùm pſeudepigrapha recenſebimus. Sunt illa, *Tractatus ad virginem lapſam: Libri de pœnitentia: Exhortatio ad pœnitentiam agendam: Liber ad Virginem devotam: de Viduis: de Vocatione gentium: de Fide contra Arianos: Epiſtolæ ad Vercellenſes: ad Demetriadem: Conciones ad populum breves: Libri de ſacramentis. Secunda apologia David: de Interpellatione David: Precationes duæ præparantes ſacerdotem aditurum miſſæ munus: In Epiſtolam ad Hebræos: in Johannis Apocalypſin: Virtutum & vitiorum conflictus. De fidei expoſitione. De Spiritu ſ. de concordia Matthæi & Lucæ ſuper genealogia Chriſti: Liber unus de pœnitentia: Tractatus Brachmannorum: Expoſitio in Cantica canticorum.*

X. Proximus Ambroſio eſt HIERONYMUS presbyter, Stridonenſis Dalmata, alter occidentalis eccleſiæ oculus: cujus eruditisſima opera magno admodum numero ſuperſunt.

ſunt. Incerta hujus doctoris habentur: *Liber unus in tres Regum & Lib. unus in duos paralip. Commentarius in Job. in pſalmos : in proverbia Salomonis : in threnos : Myſtica expoſitio in Marcum. Homiliæ 4. in Cantica: de filio prodigo. in acta Apoſtolorum. in 13. Pauli epiſt. plurimæ Epiſtolarum &c.* Hieronymo æqualis & ex amico æmulus fuit RUFFINUS Aquileienſis presbyter. Hic multa aliorum monumenta ex Græco non ineptè tranſtulit: *Baſilii ſcil. Nazianzeni, Euſebii* &c. nec pauca ipſe ſcripſit, quæ omiſſis ſpuriis ſunt: *Liber X. & XI. eccleſiaſticæ hiſtoriæ Euſebianæ: Explicatio ſymboli apoſtolici egregia. Aliquot epiſtolæ exhortatoriæ : Invectivæ duæ in Hieronymum : Apologia pro Origene.*

XI. Denique ſuperſunt PHILASTRII epiſc. Brixienſis *liber de hæreſibus*, quo tamen multas aſſertiones non hæreticas hæreſibus accenſet. IDACII CLARI Lemicæ Hiſpaniarum Ep. *adverſus Varimundum Arianum.*

GAU-

GAUDENTII (Philoſtrati in epiſcopatu ſucceſſoris) *Tractatus de dedicatione Baſilicæ : de Paſchate : in Exodum: de Lectione euangelii : in Exodum iterum: de Paralytico : in illud Domini ; Nunc judicium eſt mundi : de Promisſione paraclet: de Maccabæis martyribus : de Villico iniquitatis : in illud ; Pater major me eſt.* Tandemq́ AURELII PRUDENTII CLEMENTIS Hiſpani *ſacra poëmata.*

XII. Attingũt quidem & hoc ſeculũ celeberrimi duo Patres *Chryſoſtomus & Auguſtinus*, ſed hoſce ſequentis ſeculi ſcriptorum principes faciemus. Quæ verò *Apollinari ep. Laodiceno* & poſtea *hæretico* aſſcribuntur, ſi modò ejus ſint, quæ exſtant, exiguo habentur loco Suppoſititia etiam ſunt, quæ *Ephræm Syro Edeſſenæ eccleſiæ Diacono : Damaſo Papæ : Philoni Carpathio : Nectario Conſtantinopolitano : Theophilo Alexandrino : Johanni Hieroſolymitano : Chromatio Aquileienſi epiſcopis* aſſcribuntur.

Clau-

Claudant agmen *Auſonius* poëta ob *Carmen de reſurrectione Dominica* & *Rabbi Hillel Hannaſi* author *Calendarii perpetui*, quo hodieque Judæi utuntur.

CAPUT V.

De quinti à N. C. ſeculi Scriptoribus.

1. SECULUM QUINTUM turbavere partem hoſtes Romani Imperii *Gothi*, *Vandali*, *aliæq; Germaniæ gentes barbaræ*, ipsâ Româ ab Alarico Gothorum rege ſub initium ſeculi captâ; partim hæretici, tam veteres, *Manichæi*, *Ariani*; *Donatiſtæ*, quàm recens exorti tum *Pelagiani*, *Neſtoriani*, *Eutychiani*. Cœterum, ut divinitus eccleſia defenſa eſt, ita magno numero excitati eccleſiæ doctores ſemet vel hæreticis jam nominatis oppoſuere, vel hiſtoriam eccleſiaſticam literis mandavere, vel ſcripturam interpretati, vel denique theo-

theologiam compendio proponere conati ſunt. Atque hi ipſi authores nec numero nec eruditione prioris ſeculi ſcriptoribus inferiores ſunt. Hinc prout ἀκμὴν eccleſiæ & virilem ætatem meritò in tribus prioribus à Meſſia exhibito ſeculis locamus, ſi *pietatem* ſpectes: ita vigor & robur *eccleſiaſticæ eruditionis*, quarto & quinto quàm maximè emicuit. Poſt hæc ſiquidem tempora in ſenium eadem paulatim prolapſa & qs. effæta emarcuit & elanguit.

II. Ergo poſt conciliorum œcumenicorum, EPHESINI *contra Neſtorium* & CHALCEDONENSIS *contra Eutychetem*, quadraginta præterea trium PROVINCIALIUM ACTA PUBLICA è LXXV conciliis hoc ſeculo habitis, & una cum vitis & epiſtolis Pontificum Romanorum in tomis conciliorum comprehenſis, primas hîc jure damus quem paulo antè indigitavimus Græcorum ſcriptorũ prin-

principi, JOHANNI ep. Conſtantinopolitano ob aureum eloquentiæ flumen CHRYSOSTOMO dicto. Hujus inter Græcos πολυγεγραφωτάτου vaſta exſtant volumina, quibus ſcripturam imprimis interpretatur. Solum tamen nomen Chryſoſtomi præ ſe ferre judicantur, *Homilia de Adamo & Eva. In Pſalmum XXII. Opus imperfectum. Plurimæ ex homiliis & commentariis in V. T. Farrago diverſorum ſermonum in varios IV Euangeliſtarum locos. Duæ expoſitiones in ſymbolum apoſtolorum, Ad neophytos. Ad baptizandos. Ep. ad Cyriacum. Miſſa ſeu liturgia Chryſoſtomi à variis variè edita. Oratio encomiaſtica in principes apoſtolorum Petrum & Paulum. Plurimæ homiliarum ad populum Antiochenum.*

III. Chryſoſtomo meritò adjungimus Comites; PROCLUM ejusdem ſectatorem, ſcribam & corporis cuſtodem, poſt & in epiſcopatu ſucceſſorem, clarum *Epiſtolâ de fide ad Armenios &* fortè *paucis aliis Scriptis.*

ptis. Duos diſcipulos eximios, alterum ISIDORUM PELUSIOTAM (monaſterii in monte Peluſio abbatem) *Epiſtolis variis* varia dubia theologica erudita brevitate explanantem: alterum NILUM admirandæ pietatis *monachum Conſtantinopolitanum*, cujus & propterea libri *de Oratione: Aſceticus: Inſtitutio ad monachos: Orationes adverſus vitia capitalia: Varia monita: Brevis inſtitutio ad monachos* in precio habentur. Amicum SEVERIANUM Gavellenſem in Syria epiſcopum, ſæpius ad ſermones in eccleſia Conſtantinop. habendos ab Arcadio Imper. & Chryſoſtomo vocatum; *cujus Homiliæ VI. in hexaêmeron* Chryſoſtomo in editione Anglicana ſubjunctæ ſunt. Coætaneos denique tres, ASTERIUM Amaſenſem ep. à quibusdam *homiliis*, SYNESIUM *Ptolomaidis* Ep. *à ſacris hymnis aliisq; Philoſophicis* & LUCIANUM presb. à *Libro de inventione corporum S. S, Stephani & Gamalielis* celebres.

IV. Sed

IV. Sed & horum ſcriptorum ætates, Theodoſio nempe Juniore Imperante, attingunt CYRILLUS ALEXANDRINUS ep. concilii Epheſini præſes & THEODORETUS Cyri Syriæ ep. ille Neſtorianæ, hic Eutychianæ hæreſeos averruncus. Alexandrinus nobis reliquit *Explanationes in Geneſin, Eſaiam & Johannem. Dicta V. T. anagogicè explicata. Adverſus Judæos. Breves anagogas de iis, qui floruerunt ante legem. Epiſtolas ad diverſos. Homilias X. Apologiam ad Theodoſium Imperatorem. Declarationem XII. anathematismorum. Duos Apologeticos pro iisdem. Expoſitionem ſymboli Nicæni. De incarnatione Unigeniti. Epiſtolas II. ad Succenſum ep. Epiſtolas ſynodales XII. Dogmata Neſtorii. Orationem de exitu animæ & ſecundo adventu. Theſaurum. Dialogos cum Hermia, Contra Julianum Apoſtatam. De recta fide ad Theodoſium & Reginas. De ſacroſancta Trinitate.* Cœtera verò in dubiis habentur; & V. VI. VII. & VIII.

libri in Johannem Jodoci Clictovei recentis ſcriptoris ſunt. THEODORETUS verò *Commentarios edidit in univerſam fermé V. T. ſcripturam, & epiſtolas Pauli. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ libros V. Eraniſten ſeu Polymorphum. Hæreticarum fabularum l. V. Divinorum decretorum epitomen. Religioſam hiſtoriam. De Græcarum affectionum curatione. De providentia. Orationem de dilectione. Epiſtolas varias. Hiſtoriæ tamen religioſæ* ſive ſanctorum patrũ plurima ab aliis ineptè inſerta judicantur. Et *Epiſtolæ plurimæ; Catalogus item epiſcoporum & cæſarum* in claſſem νοθευομένων rejiciuntur.

V. Theodoreto hiſtorico eccleſiaſtico neceſſariò jungimus SOCRATEM Conſtantinop. & HERMIAM SOZOMENUM Salaminium Novatianæ licèt hæreſeos ſuſpectos; ex hiſce ſiquidem tribus *Hiſtoriam* texuit *Casſiodorus*, quam *Tripartitam* inſcripſit. Plures orientalis eccleſia, hæreſibus, luxu & hoſtium incurſioni-

ſionibus contabeſcens, hoc ſeculo authores non habuit, niſi medio ſeculo inaudita pietate & *Libro de morte asſiduè cogitanda* clarum SIMEONEM STYLITAM, ſic dictum, quòd in columna LXXXI annos habitaverit. BASILIUM Seleuciæ Archiepiſcopum *Homiliis quibusdam* & THEODORUM presbyterum in cœnobio Raytu, *Commentario de incarnatione Domini contra hæreticos*, notos. Et vergente denique ſeculo ÆNÆAM GAZÆUM, cujus ſuperat *Theophraſtus* ſive de animarũ immortalitate & corporum reſurrectione dialogus; & GELASIUM CYZICENUM, cujus eſt *Hiſtoria Nicænæ ſynodi & Liber de duabus Chriſti naturis contra Eutychetem* Gelaſio Papæ vulgò asſcriptus.

VI. Atque hi ſeculi V ſcriptores *Græci & Orientales* ſunt. Plures, ut ut barbaro hoſte vehementer infeſtata, habuit eccleſia *Latina ſeu occidentalis*. Et inter eos principem

patrumque omnium ut eruditiſſimum, ſic ingenioſiſſimum S. AURELIUM AUGUSTINUM Afrum Hipponæ ep. Manichæorum, Arianorum, Donatiſtarum & Pelagianorum malleum. Tantum autem librorum cumulum poſteritati reliquit, ut ne catalogum quidem eorundem capiat hic libellus. Quin & tot ſunt ſermones & tractatus falsò B. Auguſtino inſcripti, præſertim editione Lovanienſi, ut verè poſſit dici, quòd olim Trithemius; *Eorum recenſionem proprium volumen requirere.* Præter eos, quos vel ſolus Sixtus, vel Bellarminus, vel Eraſmus vel Lovanienſes, vel noſtrates Perkinſus & Cocus ſpurios agnovere, judicio omnium è familia Auguſtini tanquam ſuppoſiti fœtus ejiciendi ſunt ſequentes. *De benedictionibus patriarcharũ. Libri ſentẽtiarũ. Quæſtionum V. & N. Teſtamenti. De incarnatione verbi. De Trinitate & unitate Dei. De eſſentia divina. De fide rerum inviſibi-*

lium. *De ſubſtantia dilectionis. De ſalutaribus documentis. De Amicitia. De vera & falſa pœnitentia. Hypognoſticon. De ſpeculo. De conflictu virtutum & vitiorum. De Antichriſto. Inter ſermones* de Sanctis. 2.5.7.10.11.15.19.20.22.26.27.30.31.33.34.37. *De revelationibus Stephani.* Reliquorum dubiorũ catalogum & cenſuram vide apud Rivetum *Critico ſacro* l. IV. c. X. *& ſeqq.*

VII. Floruere vivo adhuc Auguſtino, qui mortuus creditur anno. h. ſec. XXXIII. *MAXIMVS TAVRINENSIS* ep. cujus *Homiliæ*, quarum tamen quædam irreptitiæ ſunt, exſtant: *PAVLINVS* ep. *NOLANVS* *Epiſtolis & poëmatibus* eleganter ſcriptis celebris: *Vita* tamen *Ambroſii* hunc Paulinum non agnoſcit patrem. Hujus amicisſimus *SEVERVS SVLPITIVS* Gallus *Hiſtoriæ ſacræ* ab initio mundi ad ſua tempora *ſcriptor* diſertus: cujus quoque ſunt, *Vita S. Martini*, *Dialogus de converſatio-*

ne orientalium monachorum, Epiſtolæ plurimæ. Quæ omnia ob privatos, quos aluit errores, cautè legenda ſunt. *PAVLVS OROSIVS* presbyter Hiſpanus ab Auguſtino ad hiſtoriam Romanorum, adverſitatumque, quas illi adhuc gentiles ſuſtinuiſſent, excitatus; ne præſentes clades ab hoſtibus illatas Chriſtianæ religioni & idolorum deſtructioni calumnioſè adſcriberent. Poëtæ duo *CL. MARIVS VICTOR* Orator Maſſilienſis: *& C. CÆLIVS SEDVLIVS* Scotus presbyter, *cujus Hymnum: A ſolis ortus Cardine*, in natalibus Domini hodieque canit eccleſia. Exſtant tamen ejusdem etiam in proſa *Explanationes in omnes epiſtolas Pauli.*

VIII. Medium exornavere ſeculum nobis hodie noti: *Libro de ſtatu animæ CLAVDIANVS MAMERTVS* presbyter Viennenſis. *Epiſtolis & carminibus SIDONIVS APOLLINARIS ep.* Arvernenſis. *Opuſculis de habitu Monachorum, Inſtitutionibus, De*

origine

origine & remedio octo principalium vitiorum. Collationibus patrum. De incarnatione Verbi, *JOHANNES CASSIANUS* Chryſoſtomi olim Diaconus, Auguſtini in doctrina de libero arbitrio & gratia adverſarius. *Commentario adverſus profanas hæreſeon novationes*, opusculo exiguo quidem ſed eximio *VINCENTIUS LIRINENSIS* monaſterii Lirinenſis inſulæ presbyter. *Carmine heroico*, quo hiſtoriam primi mundi ad diluvium usque perſecutus eſt, & *vita Honorati* ſui deceſſoris *HILARIUS* ep. *ARELATENSIS*. *Libris de vita contemplativa. Vocatione gentium. Gratia & libero arbitrio. Reſponſionibus ad capitula objectionum Gallicarum. de Gratia Dei contra Collatorem. Sententiarum S. Auguſtini. Epiſtolâ ad Auguſtinum de prædeſtinatione. Commentarius in Pſalmos L. poſteriores. Epigrammatibus. Chronico Euſebii & Hieronymi continuato PROSPER AQUINATICUS* ep. Regienſis, Auguſtini contra Pelagianos defen-

ſor induſtrius. Reliqui *de Prædeſtinatione: de Promisſionibus Dei: de Providentia Dei* libri alterius eſſe creduntur. *Libris duobus de gratia & libero arbitrio FAVSTVS RHEGIENSIS* Proſperi ſucceſſor, ſed Semipelagianus, *Libris octo de providentia juſtoq́; Dei judicio* (eò quòd multi in tantis hoſtium incurſionibus providentiam Dei accuſarent) *& Libris IV de eccleſia* ſub nomine Timothei *SALVIANVS* epiſc. *MASSILIENSIS.* Atque hi omnes in Gallia mediis turbis bellicis viguere. Dubia verò ſunt aut certè pauca & non adeò magni momenti, quæ epiſcopis *Antonino* Conſtantinæ urbis, *Eucherio* Lugdunenſi ejus filio, *Salonio* Viennenſi & *Valeriano* Cemelienſi Gallis: *Dracontio* poëtæ & presbytero: *Idacio* Chronographo & epiſc. Lemicæ Hiſpanis: *Homiliæ denique* quæ *Euſebio Emiſeno* & falſò quidem attribuuntur.

IX. Italia interim Gothorum Herulorumq́ue impetitione vaſtata nihil

hil ſei mè Scriptorum hoc tempore genuit? niſi LEONEM PRIMUM ſeu *Magnum* Romanum Pontif. cujus *Homiliæ & epiſtolæ* lectu ſunt dignisſimæ, Pontificiam tamen ambitionem in ſedis Romanæ prærogativa ſpirant. Quæ enim ſub nomine *Sixti III. Pontif.* venduntur opuſcula, ſpuria ſunt. *Petro Chryſologo* ep. Ravennatenſi *Homiliæ* adſcriptæ breves & incertæ. Nec conſtat certò, an vel ubi *Arnobius Junior* exſtiterit, cui ſcripta vendicantur, quæ notavimus n. IX. cap. III.

X. Sub finem tamen ſeculi occidentalis eccleſia adhuc doctoribus aliquot gaviſa eſt: duobus nimirũ *Africanis* epiſcopis CEREALE CÆSAREENSI & VICTORE UTICENSI: illius eſt *Libellus de fide contra Maximinum epiſcopum Africæ Arianum*; hujus *Libri de perſecutione Vandalica*, non tam docti, quàm ob inſignem martyrum fortitudinem lectu digni. Duobus porrò *Romanis* GELASIO ſcil.

I. *Papæ* & PASCHASIO diacono. Ab illo prodiere *Epiſtolæ*, *Libellus contra Pelagianos & hymni*: ab hoc *Libri de Spiritu ſancto*. Ulterius quatuor *Gallis*, GENNADIO MASSILIENSI ep. cujus eſt de *Viris illuſtribus & hæreſibus liber* egregius & *de Eccleſiaſticis dogmatibus Auguſtino vulgò adſcriptus*. RURICIO epiſc. Lemovicenſi, cujus ſuperſunt Libri *epiſtolarum*. POMERIO presbytero, cujus *Libri VIII de anima* ſuperſtitant, & CÆSARIO AREL ATENSI, cujus exſtant *Homiliæ*. Unico *Britanno* GILDA ſapiente, cujus habemus *De excidio Britanniæ & reprehenſionum in clerum Britannicum libros*. Quibus tandem addimus VIGILIUM illum, cujus *libelli V.* non ineruditi ſunt, contra *Neſtorium & Eutychetem*, incertum, quo vixerit loco.

CAPUT VI.
De ſexti á N. C. ſeculi Scriptoribus.

SEquitur SECULUM VI. eccle

ſiæ

ſiæ maximopere infeſtum ob arma Gothorum, Francorum cæterorũq; de quibus ſuprà dictum, Germaniæ populorũ, Italiam, Africam Hiſpaniam & Galliam tenentium; ut enim hi populi omnis doctrinæ expertes erant, ita omnem quoque eruditionem tantùm non penitus hiſce in regionibus peſſumdederunt. *Benedictus* quidem omnium, ut loquitur Trithemius, monachorum occidentalium princeps, hoc ſeculo prodiit, vix tamen quicquam ex hoc ordine eruditionis profectum eſt. Græcos interim, Aſiaticos & Ægyptios alia, nempe luxuriæ, peſtis occupaverat. Ad quam cùm Juſtiniani Cæſaris accederet peſſimum decretum de detrahendis ſtipendiis publicis viris eruditis & doctoribus, vix quicquam ampliùs valuit apud Chriſtianos eruditio. Sic ergo omnes ſeculi VI. ſcriptores ſimul ſumti tantum non ſcripſerunt,

quantum vel unus Hieronymus, Auguſtinus aut Hilarius.

II. Sed ut *Orientales* pro methodo noſtra præmittamus; primus, poſt *acta SYNODI OECUMENICÆ V. CONSTANTINOPOLITANÆ*, quibus præcedentium duorum conciliorum de unione perſonali doctrina confirmatur &c. *poſt alia*. LIV conciliorum particularium *acta* è XCIV tomis conciliorum adhuc aſſervata, ſiſtit *JOHANNES MAXENTIUS* monachus, author *Profesſionis fidei catholicæ: Libri contra Acephalos: Dialogi contra Neſtorianos: Reſponſionis ad epiſtolam Hormisdæ Papæ.* Secundus *propter Commentarios in Apocalypſin ANDREAS CÆSAREENSIS* Cappadociæ ep.

III. E medio ſeculi reliquerunt nobis *LEONTIUS BYZANTINUS* monachus *Libros contra Neſtorianos: Eutychianos: Apollinariſtas; Severum & de Sectis.* Hujus æqualis *ANASTASIUS SINAITA* ep. Antiochenus ὁδηγὸν ſeu

ſeu *viæ ducem contra Acephalos: Anagogicas contemplationes in hexaemeron & de Fidei dogmatibus*; nec non ANDREAS HIEROSOLYMITANUS ep. Cretenſis, cùm *alios Sermones*, tum in *annunciat: & ſalutat. B. Virginis*. Non multùm poſt horũ tempora Conſtantinopoli *PROCOPIVS GAZÆVS* ſophiſta, melior rhetor quàm theologus, operas ſuas in *Octateuchum & Eſaiam*: & *JOHANNES CLIMACVS* monachus, *Librum triginta graduum*, *quibus adſcenditur ad perfectionem*, unde nomen *Climaci* obtinuit. Claudunt ſeculum *EVAGRIVS SCHOLASTICVS Sozomeni continuator*. *DOROTHEus ARCHIMANDRITA* ſeu abbas & *JOHANNES* ep. Conſtantinopol. ob mirã abſtinentiam *JEJVNATOR* dictus, hujus *una*, illius *viginti quatuor Homiliæ* ſuperſunt.

IV. Plures habuit *occidens*: inter quos initio ſeculi familiam ducit *FVLGENTIVS* Afer epiſc. *RVSPENSIS*, Auguſtini defenſor, nobis ob-

ſequentia ingenii monumenta laudandus: *Ad Traſimundum regem*: *de Incarnatione & Gratia Chriſti*: *Ad Monimum*: *contra Objectiones Arianorum*: *Ad Donatum*: *Ad Euthymium*: *Ad Ferrandi quæſtiones*: *de Fide ad Petrum*: *Epiſtolas VII*: *Sermones denique X variorum argumentorum*, quos tamen *ſermones* nonnulli aliis attribuunt. *Mythologiarum* libri III. communiter alterius cujusdam *Fulgentii* ſcriptoris grammatici eſſe judicantur.

V. Fulgentio jungimus ſequentes VIII omnes Africanos, nobis hodie celebres; PETRUM DIACONUM *Libro de incarnatione & Gratia Chriſti ad ep. Africanos*. FERRANDUM DIACONUM *Parænetico ad Reginum comitem*: *Epiſtolis & Brevi compendio ſacrorum canonum*. EUGIPPUM abbatem, *tomis duobus Theſaurorum* ſeu optimarũ ſententiarum Auguſtini. VICTOREM epiſc. *de Ratione fidei catholicæ ad Hunericum R. Vandalorum*. VICTOREM Tunuenſis eccleſ. in Africa epiſc. *Hi-*

ſto-

ſtoriâ. JUSTUM ORGELITANUM ep. *de Partibus divinæ legis* (commentariolus enim in prima cap. geneſeos Bedæ eſt) PRIMASIUM *in Epiſtolas Pauli & Apocalypſin*, Et JUNILIUM ep *Libris duobus de partibus divinæ legis ad Primaſium.*

VI. Interea in Italia MANLIUS TORQUATUS SEVERINUS BOETHIUS, patritius & conſul Romanus, author in literarum barbarie elegantisſimus, ſcripſit, *Libros de Trinitate; de Unitate Trinitatis; de Duabus naturis Chriſti ad Eutychetem; de Fide ad Johannem diaconum; de Conſolatione philoſophiæ.* MARCELLINUS COMES *ſuum Chronicon.* M. AURELIUS CASSIODORUS, *de Inſtitutionibus divinarum lectionum: in Pſalmos & Canticum: Hiſtoriam Tripartitam ex libris Socratis, Theodoreti & Sozomeni: Epiſtolas quasdam: Chronicon breve ab initio mundi: de Rebus geſtis Gothorum.* ENNODIUS DIACONUS & poſt ep. Ticinenſis *Apologeticum pro quarta Synodo.*

do & Epiſtolas. DIONYSIUS abbas à corpore dictus EXIGUUS, author æræ vulgaris quâ annos à nato Chriſto numeramus, (antea ſiquidem ab imperio impii Diocletiani numerabant) *Cyclum paſchalem & Collectionem ſacrorum canonum.* VICTOR ep. CAPUANUS *Illuſtrationem harmoniæ IV. Evangeliſtarum incerti authoris*, quæ diapente vocatur; *& de Paſchate ſeu cyclo paſchali.* ARATOR ſubdiaconus eccleſiæ Romanæ *Acta apoſtolorum* carminicè elaborata. RUSTICUS ejusdem eccleſiæ diaconus, *Diſputationem adverſus Acephalos*, ſed imperfectam. In Gallia verò unus AVITUS ALCIMUS ep. Viennenſis *Verſus in Geneſin & Exodum*, *de Laude item caſtitatis ad Fuſcinam ſororem.* Sic in Hiſp. ORIENTIUS ep. Illib. *Commonitorium.*

VII. Poſt annum verò hujus ſeculi L vixerunt in Africa LIBERATUS archidiaconus Carthaginenſis, *Breviator cauſæ Neſtorii & Eutychetis*, cautè legendus. In Italia DACIUS MEDIOLANENSIS *Chronographus*: JO-

HAN-

HANNES abb. Biclarenſis *Continuator chronici Victoris Tunuenſis* & GORDIANUS ROMANUS, mon. Casſinenſis, author *Pasſionis S. Placidi & Epiſtolarum nonnullarum*. In Gallia VENANTIUS FORTUNATUS *Carminum & vitæ S. Hilarii ſcriptor.* In Hiſpania MARTINUS ep. Bracarenſis. (alii Dumienſis) natione Græcus, *Collector canonum ex Synodis Græcis.* Finem tandem ſeculi decorarunt duo GREGORII, alter TURONENSIS ep. *Hiſtoriâ Francorum: Libr. de gloria martyrum: de Gloria confeſſorum: de Miraculis ſ. Juliani & S. Martini;* Alter Pontifex Romanus, quem MAGNUM vocant, epiſcoporum Romanorum, qui probi eſſent & veri epiſcopi, ferè ultimus. Scripta hujus gemina habentur: *Morales expoſitiones in Jobum: De cura paſtorali: Dialogi cum Petro: Expoſitiones in Ezechielem; Homiliæ in euangelia: Decreta nonnulla: Reſponſiones ad XI. interrogationes Auguſtini ep. Anglorum: Epiſtolæ.* Quædam tamen

ex epiſtolis *dubiæ* ſunt, ut & *Expoſitio in cantica: in ſeptem pſalmos pœnitentiales: in libros Regum: Antiphonarium & Sacramentarium.*

CAPUT VII.
De Septimi à N. C. ſeculi Scriptoribus.

I. SIc priorum ſex à C. N. ſeculorum ſeu *primæ claſſis & ætatis* ſacros ſcriptores, quos *Patres* κατ' ἐξοχὴν communiter vocamus, quibusque ſua in theologicis eſt authoritas, qua potuimus, brevitate enarravimus. Sequitur ÆTAS ALTERA, quam & *Mediam* nonnulli vocant, à *ſeculo ſeptimo ad medium duodecimi.* Scriptores hi, quos tamen & *Patres* aliquando inſcriptos invenies, numero, eruditione & authoritate prioribus lõgè inferiores ſunt: ſuperſtitiones, errores & abuſus, qui paulatim in eccleſiam irrepſerant, hîc confirmati & aucti: dominatus Pontificis Romani fundamenta

menta jacta. Ut non niſi reliquiæ quædam pietatis & eruditionis majorum nobis jam colligendæ objiciantur.

II. Reddidit autem hanc ætatēm adeò ſterilem non unum malum. Et SEPTIMUM quidem SECULUM non barbaries ſolùm populorum Germanicorum, quâ literæ & artes planè occubuerunt, adhuc tenuit: ſed præprimis *exortus & incurſus teterrimi hoſtis & pſeudoprophetæ Muhammedis* Chriſtianam religionem adeò infeſtavit, ut intra annos ſexagintà ab anno h. ſec. XXII, universâ Africâ, Siciliâ & Aſiâ, ſolâ Græciâ & Aſia minore exceptis, eadem profligaretur. Exſtinctæ ſunt vi linguæ Græca & Latina; Arabica ſubſtituta; ſcripta Chriſtianorum combuſta; Muhammedis armis & dogmatibus impleta omnia. In Italia inſuper jacta ſunt fundamenta ejus dominationis, per quam poſtea Romani Pontifices ſibi univerſam eccleſiam, magnâ eccle-

ſiæ

ſiæ rupturâ, ſubjicere ſunt conati, Bonifacio III. à Phoca impio parricida obtinente, ut Romana ſedes caput eccleſiarum omnium ab omnibus haberetur & diceretur.

III. Hinc toto hoc per ſecula ſex intervallo in magnis illis à Muhammede & Saracenis ſuperatis terris, vix unus liber ab homine Chriſtiano ſcriptus exſtat. Nam, quos ex hac orbis parte *Doctores*, hoc capite laudare licet, ante expeditionem *Pſeudopropbetæ* initio ſeculi floruere. Hieroſolymis ſcil. patriarchæ duo, HESYCHIUS & SOPHRONIUS monotheletarum adverſarius. *Illius*, habemus *Commentarios in Leviticum myſticos & Capita in duodecim Prophetas minores* atque *Eſaiam*. *Hujus*, *Varios ſermones & Opuſcula*.

IV. Cæterùm ut ad alia h. ſeculi monumenta conſignanda accedamus; *in actis* Conciliorum XXXIX adhuc reſiduis è LXIII habitorum eminent, *Canones cæteraq; acta Oecumeniæ*

sicæ SYNODI *VI.* CONSTANTINOPOLITANÆ III. anno LXXXI *contra Menotheletas celebratæ;* quibus tamen & annumeramus *Canones CIII à Patribus in* TRULLO h. e. Palatio Conſtantinopolitano decennio poſt congregatis, *conditos.* Scriptores verò in orientali quidem eccleſia exſtitere JOHANNES MOSCUS eremita, *Prati ſpiritualis,* quod vitas ſanctorum continet, ut putatur, author; ipſum tamen hoc pratum non unum habere mendacium Baronius fatetur. LEONTIUS Neapoleos Cypri ep. *Johannes Alexandrini vitâ deſcriptâ* notus. ANTIOCHUS Ancyræ in Galatia monachus, *Pandectarum;* id eſt, *expoſitionum SS. Patrum in decalogum compilator.* & GEORGIUS PISIS diaconus Conſtantinopol. author *Jamborum de opere ſex dierum & Vanitate vitæ.*

V. Poſt horum ætatem ſeculi medio S. MAXIMUS monachus Conſtantinop. & martyr, cujus opera

ra partim edita, partim in bibliothecis ſuperſtitia non exiguo numero enarrat Baronius. Inter quæ lectu non indigna exſtant: *Diſputatio contra Pyrrhum monotheletam: Eccleſiaſtica myſtagogia*: *Scholia in Dionyſium Areopagitam*: *Centuriæ de Charitate & Incarnatione verbi* &c. Cui ſubjungimus NONNUM Panopolitam Ægyptium, cujus *Dionyſiaca & Paraphraſis poëtica in euang. Johannis* Græcè ſuperſunt. Sub finem ſec. AGAPETUS S. Dei eccleſiæ diaconus *Sententias paræneticas LXX ad Juſtinianum Imperat.* Et GERMANUS CONFESSOR patr. Conſtantinop. *Rerum eccleſiaſticarum theoriam & Commentarium in Orationem dominicam* nobis reliquerunt. Quæ verò ANASTASIO NICÆNO epiſcopo adſcribuntur *Reſponſiones ad Orthodoxorum nonnullorum interrogationes de diverſis capitibus eccleſiaſticis*, in dubiis habentur.

VI. In Gallia, Italia, Hiſpania & Anglia parùm itidem eruditionis remanſit,

manſit. Hiſpaniam tamen irruentis Muhammedis tempore illuſtravit ISIDORUS HISPALENSIS epiſcop. primas inter coævos auctores facilé tenens. Hæc ſiquidem monumenta poſterorum bono edidit. *Libros originum* ſive *etymologiarum: De proprietate verborum: De differentiis ſpiritualibus: Synonymorum* ſive *ſoliloquiorum: De contemtu mundi: Normam vivendi: Exhortationem pœnitendi: Lamentum pœnitentiæ: Orationem ad flenda ſemper peccata: Orationem contra inſidias diaboli: Epiſtolam ad Maſſanum de lapſu & reparatione ſacerdotis: De natura rerum* ſive *Mundo: Chronicon ab initio mundi: Gothorum: Hiſtoriam Vandalorum: Prœmia in Vetus & N. T. De Antiocho rege & Maccabæorum martyriis: Allegoriarum ſcripturæ librum: De ſcriptoribus eccleſiaſticis: De nativitate, paſſione &c. Domini: De vocatione gentium: Officiis eccleſiaſticis: Epiſtolam ad Ludifredum de officio clericorum: Sententiarum ſive de ſummo bono: Epiſtolas; Regulam monachorum:*

De conflictu vitiorum & virtutum: Expoſitionem in Cantica canticorum: De viris illuſtribus .: De converſis ad monachos. Suppoſititia verò ſunt: *Liber de vita & morte ſanctorum & Præfatio de Origine conciliorũ*, quæ habetur tomis Conciliorum.

VII. Eadem ætas nobis non invidit JOHANNIS GOTHI, itidem Hiſpani & abb. Claræ vallis *Exhortationem ad monachos & Libr. paralipomenon Hiſpaniæ.* COLUMBANI Scoti *Carmen contra avaritiam.* Hujus diſcipuli JONÆ *Scoti abb. Luxovienſis, Vitas quorundam abbatum, Columbani, Attalæ, Euſtachii* & *Bertolfi.* MARCI CASSINENSIS mon. *Carmen de miraculis Benedicti*, *Gnomas & Opuſcula quædam.* ELIGII NOVIOMENSIS in Gall. epiſc. *Homilias XVI.* DESIDERII epiſc. CADURCENSIS in Aquitania *Epiſtolas*, &, ut ſuſpicantur, ELIÆ ABBATIS *Homilias XXIX.* Poſt hoſce verò GALFRIDI MONUMETHENSIS archidiac. Angli. qui & *Arturus* dici-

dicitur *Libros de origine & geſtis Britannorũ.* Et denique duorum Archiepiſc. Toletanorũ, HILDEPHONSI *Tractatũ de Mariæ perpetua virginitate : Parturitione ejuſdem : Sermones XII de eadem: & Librum de viris illuſtribus.* Et JULIANI *Demonſtrationem ætatis ſextæ contra Judæos : Prognoſticon de vitæ futuræ contemplatione.* Hiſce ſubjungo VITAS ET EPISTOLAS PONTIFICUM R. è tomis Conciliorum, & ecce tantillum Scriptorum ſacrorum numerum hujus ſeculi. Sed nec mirum, cùm neque Philoſophum, neque Jureconſultum, neque Medicum, neque Hiſtoricum, denique nec Poëtam, nec Oratorem, qui alicujus ſit nominis, integro hoc ſeculo liceat reperire. *Tam triſtis ergò ſeculi ſeptimi facies eſt.*

CAPUT VIII.

De octavi à N. C. ſeculi Scriptoribus.

I. NEc lætior OCTAVI, quàm

miſeriam priorum ſeculorum auxit Saracenorum in Hiſpaniam irruptio; adeò ut nullæ ampliùs literæ extra monaſteria, in quibus, quōd ſupererat eruditionis, deliteſcebat, comparerent. Pietate tamen Caroli Magni ſtrenui literarum, quæ religionis adminiſtræ ſunt, cultoris ſeculo declinante, Pariſienſis & Papienſis academiæ fundatæ, collegia itidem epiſcopatibus à ſe in Saxonia (quam ad fidem Chriſti & Baptiſmum ſuſcipiendum ſubegit) inſtitutis adjuncta ſunt, in quibus cùm ſacrarum, tum aliarum literarum & diſciplinarum ſtudia colerentur. Et ſic nova quædam ſemina novæ eruditionis non infeliciter jacta ſunt, quorum fructum non pœnitendum ſubſequens ſeculum IX expertum eſt.

II. Interea ſpicilegio hoc noſtro *Acta* XXII *Conciliorum*, & inter illa NICÆNI II. quod *œcumenicum VII* dicunt: (reliquorum XLVII Concilio-

rum

rum hoc ſec. habitorum actis non exſtantibus,)& aliquos adhuc licet in mediũ producere *ſeculi octavi* Doctores. Quos inter primus eſt editis quibusdam, quæ exſtant, *Epiſtolis* GREGORIUS SECUNDUS ſeu *junior* ex monacho Benedictino Papa. Secundum locum haud immeritò tribuimus, de literis & religione poſtliminio nobis reſtitutis religioſis monachis quibusdam Anglis ex gente Saxonica, quæ ante ſeculum & quod excurrit Britanniam occupaverat. ANTHELMO ſcil. quem & *Adelmum, Aldelmum & Ædelmum* vocant: cujus libelli ſunt, *De Virginitate & Ænigmatum.* MARCELLINO *vitæ Swiberti* primi Verdenſium epiſcopi ſcriptori.

III. Maximè verò (ex plurimis aliis nondum editis, quorum tamen etiam opera non adeò magni facienda) circa annum trigeſimum VENERABILI BEDÆ presbytero, viro ſupra ſeculi ſui captum erudito, *plurimo-*

morum & multiplicis argumenti ſcriptori, quæ charta hæc commodè non exprimet, authori. Namque & artes reſtituit liberales, & commentaria in univerſam ferme ſ. ſcripturam homiliasque ſcripſit, & hiſtoriam gentis ſuæ & vitas ſanctorum perſequitur, & varia omnino, tomis integris octo tractat. Nominatim tamen hîc exprimendi ſunt ipſius *De rebus Anglicis Commentarii Saxonicâ exarati linguâ,* nuper Cantabrigiæ editi, quòd hæc omnium antiquisſimum linguæ Germanicæ fortè monumentum ſit. Aliorum tamen ſunt *Vita Patricii, Columbani, Arnulphi, Attalæ, Bertolfi. Collectaneum de luminibus eccleſiæ.* Indigna etiam ſunt ingenio Bedæ *Plurima é collectaneis & floribus tomi 3. Collectaneum de 4. generibus ligni in cruce Domini. Oratiumcula, ubi invocantur tres Jacobi; & Altera, ubi invocantur angelus Vriel & Rumiel. At Commentarii in Eſaiam, Jeremiam & Danielem,* quos ipſe Beda in indice operum ſuorum

orum numerat, periiſſe videntur. Vixit annos XC hocque elogium retulit: *Hominem in extremo orbis angulo natum, univerſum orbem ſuo ingenio perſtrinxiſſe.*

IV. Sed & duobus aliis Anglo Saxonibus monachis Bedæ diſcipulis; BONIFACIO qui & Winfridus vocatur, poſteà primo Moguntino archiepiſcopo, cui præcipuè religionem Chriſtianam debet Germania; & ſub finem ſeculi ALBINO FLACCO ALCUINO (dicto & *Levitæ* & *Anglo Eboracenſi*) Turonenſi abbati, Caroli M. præceptori & hujus mandato academiæ Pariſienſis authori ſive directori. *Illius* adhuc hodie leguntur *Epiſtolæ*: *hujus* opera plurima. Nempe, *Brevis commentarius in Geneſin*: *in XV Pſalmos graduum*: *In Pſ. CXVIII. in VII Pſalmos pœnitentiales*: *Cantica Canticorum*: *Eccleſiaſten*: *Johannem*: *Pauli epiſtolas*: *Apocalypſ. De vita Vedaſti, Richarii, Wilbrodi*: *Ad quæſtiones Frigidiſi de virtutibus & vitiis ad*

is ad Guidonem : Confeſſio fidei : de S. Trinitate : Adoptione filiorum Dei : Eccleſiaſticis dogmatibus : Speculum parvulorum : Quæſtiones in Geneſin : De nominum Dei proprietate : Dialogus ad diſcipulos : de VII artibus liberalibus : Enchiridion in quosdam pſalmos : De benedictionibus patriarcharum : Sententiæ de natura & immortalitate animæ : Prognoſticon de futuro ſeculo : Epiſtolæ : Rhetoricæ, dialecticæ & politicæ inſtitutiones : Homiliarum, quo Patrum, à ſe juſſu Caroli M. collectæ *homiliæ* continentur : *Miſſæ votivæ per hebdomadam decantandæ : Aliæ miſſæ* VII : *Quæſtiones in Geneſin : De baptiſmi ceremoniis epiſtola : De ratione ſeptuageſimæ ad* Carol. M. *epiſtola : De divinis officiis : De octo vitiis principalibus : Quæſtiones de S. Trinitate.*

V. Huc locamus *Refutationem actorum Nicænorum*, quam ſub nomine CAROLI M. legimus. Caroli itidem *Conſtitutionem de ſcholis inſtituendis. Epiſtolam ad Faſtradam conjugem & Capitu-*

pitulare. *ADRIANVM Papam PRIMVM*, cujus ſuperſunt *Epiſtolæ: de Veneratione imaginum & Reſponſio ad Caroli M. Refutationem ad ſe è concilio Francofurtenſi miſſam.* Et porrò familiares duos Caroli Imp. Alterum *PAVLVM WARNEFRIDVM* eccleſ. Aquileienſis diaconum, ſcriptorem *Vitæ S. Benedicti, Mauri, Scholaſticæ & Arnolphi: Librorum de geſtis Longobardorum: Hiſtoriæ Cæſarum à Valentiniano ad Leonem: Hymnorum quorundam eccleſiaſticorũ.* Alterum ejusdem eccleſiæ epiſcopum *PAVLINVM*, cujus *de ſ. Trinitate libellũ adverſus Felicem Vrgelitanum & Elipandum Toletanum* eccleſia agnoſcit. Paulini hujus, vel Pauli Warnefridi, vel etiam Albini ſeorſim aut etiam trium horum conjunctâ operâ diebus Dominicis & feſtis *ſuos* ex Euangeliis & Epiſtolis *textus*, qui hodieque uſurpantur, Carolum M. adſignaſſe, vix dubitatur.

VI. Hi *occidentis* ſcriptores ſunt. *Oriens* Damaſci medios inter Sarace-

nos Bedæ æqualem & æmulum habuit JOHANNEM DAMASCENUM, cujus præclaram pro illius temporis & loci conditione eruditionem eruditi mirantur: ut quemadmodum occidentis Beda, ſic orientis lumen hoc quidem ævo Damaſcenus dici mereatur. Reliquit autem nobis hoſce ingenii ſui fœtus. *Parallela ſeu locos communes*: *Libros 4 de fide orthodoxa*, *in* quibus primus univerſam theologiam recto ordine comprehendens Lombardum alioſque theologos præivit: *De Christi transfiguratione*: *De nativitate B. Mariæ*: *Ejusdem aſſumtione Jambicapentaſtica*: *Varia cantica numeris ſoluta*: *Eccleſiaſtica Græcorum cantica octoſona* conjunctâ aliorũ doctorum operâ concinnata: *Dialecticam*: *Epiſtolam de Triſagio*: *De decretis & placitis primæ inſtitutionis*: *De duabus Chriſti voluntatibus*: *Quomodo ad imaginem Dei creati ſimus*: *Vitam S. Stephani junioris*; *Diſputationem Chriſtiani & Saraceni*: *Orationes de imaginibus*:

tius; *Phyſicam*: *De hæreſibus*: *Dialogum adverſus Manichæos*: *De natura compoſita*: *Sententiarum fragmentum*: *De octo vitioſis cogitationibus Euagrii*: *De iisdem Nili*; *De die Judicii.* Suppoſititii verò creduntur, *Hiſtoria de Barlaam & Joſaphat*, & *Oratio de iis, qui in fide migrârunt.* ZACHARIAS Polychronii fil. Pont. R. natione Græcus *Gregorii Magni dialogos Græcos è Latino fecit.* LUCÆ SICULI *Hiſtoriæ de manichæis Armeniis* ſolùm fragmentum ſupereſt. Huc & refertur, quamvis incertæ ætatis, ANTONIUS MELISSA mon. *Locorum communium de virtutibus* collector: Et SUIDAS author *Lexici* progreſſu temporis magis magisque, ut videtur, ab aliis aucti. Sic & ſeculum octavum VITIS ET EPISTOLIS PAPARUM finimus.

CAPUT IX.

De noni à N. C. ſeculi Scriptoribus.

I. SECULUM NONUM duobus præ-

cedentibus fœcundius feliciusq; eſt, partim ex felici Bedæ & monachorum Anglo-Saxonum informatione; partim pio ſtudio Caroli M. & Ludovici Pii, quo ſcholæ cathedrales & monaſteria ordinis Benedicti magno per Germaniam & Galliam numero tanquam ſeminaria literarum & pietatis inſtituta ſunt: partim zelo Germanorum, relictâ a vitâ idolotriâ & ruditate, quâ ne alphabetum quidam noverant, religionem & literas tanto ardore amplectentium, ut brevi ſpacio omnes toto orbe Chriſtianos, eruditione præcellerent. Numeroſiore ergo claſſe authores ſeculi noni ſuis ex monaſteriis procedunt.

II. Et Caroli quidem M. adhuc ætate, qui ſeculi anno XIV obiit, *VSVARDVS* Gallus monachus Fuldenſis Alcuini diſcipulus *Martyrologii*: *LVDGERVS* Friſius ex abbate Werdinenſi & Helmſtadienſi primus epiſc. Monaſterienſis, *Vitæ S. Swidberti*: & *EGIN-*

EGINHARTVS Caroli M. cancellarius & gener, pòſt monachus & abbas primus cœnobii Salingeſtadienſis, *Vitæ Caroli M. & Marcellini atq; Petri* ſcriptores. Horũ contemporanei ſunt *APONIVS* allegoricus commentator *Cantici Canticorũ*, cujus literam ad Chriſtum & eccleſiam accommodavit: & *ANSEGISVS* abbas Laubienſis, cujus ex mandato Imperatoris & Ludovici P. *Statuta eccleſiaſtica & leges mundanæ ſuperſunt.*

III. Imperante porrò LUDOVICO PIO Caroli fil. & ſucceſſore, cujus *duo Capitularia & pauca quædam alia* aſſervantur, ſubſequentia ingenii monumenta chartis commendavere: *Commentarium in Pſalmos: Euangelia & epiſtolas feſtorum & dominicales: Sermones in regulam Benedicti: Diadema monachorum, & Commentarios in nonnullos ſecularium authorum libros & nominatim Donatum majorem* SMARAGDVS abb. monaſterii S. Michaëlis ad Moſam. *Summam: Commentarium in Ma-*

thæum & epiſtolas Pauli CLAUDIUS CLEMENS Scotus Bedæ diſcipulus & Alcuini in fundanda ſchola Pariſienſi collega. *Libros* 3 *adverſus Claudium* ep. Taurinenſem pro defenſione imaginum, (quæ controverſia tum vehementer agitabatur; aliis eas tollendas & confringendas; aliis pro libris laicorum retinendas; aliis etiã adorandas eſſe contendentibus) JONAS AURELIANENSIS ep. *Librum contra eundem* DUNGALUS diaconus. *De virtutibus & vitiis & ordine pœnitentium* HALITGARIUS ep. Cameracenſis. *De eccleſiaſtico officio & ordine Antiphonarii* AMALARIUS FORTUNATUS Trevirenſis ep. *Hiſtoriam univerſalem* FRECULPHUS ex monacho Fuldenſi ep. Lexovienſis. *Vitam Dionyſii Areopagitæ* HILDUINUS abbas S. Dionyſ. Pariſienſis. *Hymnos nonnullos eccleſiaſticos & Epiſtolas* THEODULPHUS abb. Floriacenſis & pòſt epiſc. Aurelianenſis. *Commentarium in univerſam ſ. ſcripturam; de Virtutibus,*
vitiis

vitiis ac ceremoniis antiquæ eccleſiæ : de Quæſtionibus canonum pœnitentialium: Homiliam de feſto omnium ſanctorum: Sacramento euchariſtiæ : Divinis officiis: Convivium Dei : de Inſtitutione clericorum: Laudibus ſ. crucis : aliaq; permulta proſâ & ligatâ RABANVS MAVRVS ex abbate Fuldēſi archiepiſcopus Moguntinus, Alcuini auditor vir omnium diſciplinarum cognitione abſolutiſſimus. Denique *Commentarium* brevem & dilucidum *in univerſa biblia. Libros de varietate librorum: Mundi voluptatibus : ſancta Trinitate : Chriſtianorum rerum memoria*, ejusdem Alcuini diſcipulus HAYMO ex abb. Hirsfeldenſi ep. Halberſtadienſis. Alicujus tamen etiam nominis ſunt NIDHARDVS Caroli M. ex Bertha filia nepos, *ob Conſcriptam de disſidiis filiorum Ludovici Pii hiſtoriam:* ANSGARVS primus Archiepiſc. Bremenſis *ob Vitam Willehadi, prim. ep. Brem. & Fragmenta epiſtolarum: &* ANONYMVS, *qui vitam Caroli M.* carminicè exara-

IV. Ab anno 40. filiis Ludovici Pii regnantibus edidere STRABUS FULDENSIS mon. Rabani diſcipulus & ſcriba *Gloſſam ordinariam*, ſic vulgò dictam, ex magiſtri ſui operibus decerptam. WALAFRIDUS, à vitio oculorum STRABO cognominatus, abb. Augiæ divitis *de Vita ſ. Galli & ſ. Othmari*: *Officiis divinis ſive exordiis & incrementis rerum eccleſiaſticarum.* ANGELOMUS monachus Gallus *in IV libros regum & Canticum canticorum.* CHRISTIANUS DRUTHMARUS Corbejenſis Galliæ monachus, *Expoſitionem in euangelium Matth. & Homilias aliquot.* EULOGIUS CORDUBENSIS, Toletanus deſignatus archiepiſc. ipſe martyr, *de Martyrio*, quod Cordubenſes à Saracenis Cordubam tenentibus patiebantur; *nonnulla opuscula.* LUPUS abbas Ferrarienſis in Gall. *Epiſtolas.* HINCMARUS archiep. Remenſis, *Epiſtolas. Vitam Remigii: Encomium ejusdem: Opusculum ad Hincmarum Laudunenſem: O-*

puſculum de divortio Lotharii R. & Tetbergæ Reginæ. Capitula ad presbyteros parochiæ ſuæ. ISAAC ep. Lingonenſis *Canones.* HERARDUS archiep. Taron. *Capitula* ADVENTIUS Met. ep. *Fidei confeſſionem.* HUBALDUS mon. Elnonenſis *Carmen ad Carolum Calvum.* Ipſe CAROLUS CALVUS *Precationes* FLORUS MAGISTER *Exegeſin Miſſæ* BERTHARIUS abb. *Vitam Benedicti.* REMBERTUS archiep. Bremenſis *Vitam Ansgarii* deceſſoris ſui. NICOLAUS PRIMUS Pontif. Rom. *Epiſtolas plurimas.* Hujusque BIBLIOTHECARIUS ANASTASIUS & Rom. abbas *Hiſtoriam eccleſiaſticam & Vitas Pontificum ſæpius ſupra allegatas qui & varia è Græco in Latinum vertit.*

V. Porrò occaſionem quibusdam libris evulgandis dedit in occidentali eccleſia contentio de præſentia & manducatione corporis Chriſti in ſ. Cœna circa tempora Caroli M. (quibus graves corruptelæ paulatim invaleſ-

valeſcebant) exorta. *Vtrum ſcil panis & vinum in eucharistia ſubſtantialiter ſint corpus & ſanguis Chriſti, an veri figura corporis & ſanguinis Chriſti? Et an corpus Chriſti ore fidelium ſumatur in veritate, an in myſterio?* Romanorum Pontificum adulatores, quòd ſacram ſcripturam prorſus negligerent & patrum locutionē ſacramentalem non intelligerent, transmutationem elementorum acriter defenderunt. Oppoſuit ſe communi ori errori JOHANNES MAILROSIUS ERIGENA Scotus, quem alii Italum volunt, ſub Beda Alcuini condiſcipulus, hujus ex Britannia in Galliam comes & poſtea in Academia Pariſ. collega Carolo charus, *Scripto de euchariſtia*, ex odio poſtmodum ſuppreſſo, quo ex vera Auguſtini, cujus libri tum doctorū manibus terebantur & utramq; paginam faciebant, & patrum mente corporis & ſanguinis Chriſti præſentiam ſacramentis convenientē demonſtrat.

Tole-

Tolerata imò & approbata à multis Erigenæ ſententia eſt, contentio tamen & lis in eccleſia non ſopita. Conſultus proinde à Carolo Gall. R. Ludovici Pii filio BERTRAMUS Gallus presbyter & monachus, *Commendabile*, ut Trithemius loquitur, *opus edidit, De corpore & ſanguine Domini* hodie ſuperſtes, quo multis cum Erigena ex ſacræ ſ. & Auguſtini ſententia probat; *Panem & vinum eſſe corpus & ſanguinem Chriſti, in figura, figurate in myſterio, in ſacramento, ſpiritualiter, ſecundùm quendam modum.* Reſpondit huic ſcripto, ſuppreſſo tamẽ Bertrami nomine PASCHASIUS RADBERTUS abb. Corbejenſis *L. de ſacramento altaris*, quo ævi errorem defendebat. Sed plura alibi hac de re idem Paſchaſius & *in Threnos Jeremiæ* ſcripſit *& Vitam Adelhardi.*

VI. Sub finem ſeculi JOHANNES Diaconus eccleſ. Rom. ſcripſit *Vitam Gregorii Papæ primi.* AIMOINUS Gallus monachus cœnobii Floriacenſis, *Ori-*

ginem & res geſtas Francorum libris quatuor prioribus, quintus enim qui hiſtoriam continet ad annum Domini 1165. manifeſtè alterius eſt ADO VIENNENS. epiſc. *Chronicorum breviarium ad annum* 879. REMIGIVS ANTISIODORENSIS mon. *Enarrationem in omnes pſalmos. In* XII *prophetas minores: Expoſitionem miſſæ: De offi iis divinis.* Et AMBROSIVS ANSBERTVS ſive Autbertus *in Apocalypſin.*

VII. Hi omnes in Occidente docuêre. Habuit tamen & Græcia ſcriptorem unum alterumq;. Princeps initio ſeculi NICEPHORUS eſt *Patriarcha Cõſtantinopolitanus:* cujus adhuc habemus *Epiſtolam Synodicam ad Leonē III. Aliam item: Chronographiam* ab Anaſtaſio latinitate donatam: *Canones* & *Quatuor opuſcula contra Iconomachos.* Sequuntur THEODORUS STUDITES dictus, præpoſitus monaſterii, quod Studium appellabatur: ejus ſuperſunt; *Opuſculum de bon re i-*

magi-

maginibus exhibendo : Teſtamentum & Catecheſes : Sermones in anni feſta : Oratio de cruce : Encomium in S. Platonem: Varii hymni & Fragmenta quædam. Medio ſeculo SIMEON METAPHRASTES, cujus exſtant *Vitæ ſanctorum* per ſingulos menſes diſtributæ ſed fabulis refertæ. Et METHODIUS patriarcha Conſt. cujus *Scriptum de iis, qui abnegarunt fidem* ſuperſtat.

VIII. Imprimis verò orientem eadem tempeſtate illuſtravit PHOTIUS patriarcha Conſtantinopolit. vir immenſæ lectionis & variæ eruditionis, editâ *Bibliothecâ* ſeu μυριοβίβλῳ, quo quos libros legit, & inter hoſce, qui hodie interciderunt, recitat: & *Nomocanone*, quo ſ. canones & Patrum reſponſa contexuit, ſed cùm Ignatium anteceſſorem ſuum ſede pepuliſſet, aliisque indulgeret vitiis, adverſarium nactus eſt NICETAM DAVIDEM, qui *vitâ Ignatii* in lucem emiſſâ hujus innocentiam, illius verò vitia depingit. Imò & turbæ hinc

hinc ortæ occaſionem dederc habêdoConſtantinopoliCONCILIO, quod nonnulli OECUMENICUM VIII vocant, quo, depoſito Photio, reſtitutus eſt Ignatius. *Acta unà cum actis LXXIV. aliorum conciliorum è CXXXII. hoc ſeculo habitorum in tomis conciliorum exſtant.* Et hæc de ſeculo IX quo ſtudia philoſophica, per integra duo ſecula ſepulta quaſi, præſertim apud Saracenos, in ſcholam revocata refloreſcere cœperunt.

CAPUT X.

De decimi à N. C. ſeculi Scriptoribus.

I. EſT verò SECULUM DECIMUM omnium ſterilisſimum, fortè quòd monachorum divitiæ, quibus comparandis ſtudebant, luxuriam & deſidiam pepererint. Sanè, vel Baronio teſte, *ipſi Pontifices Romani toto hoc ſeculo aut omnes, aut certe plerique homines monſtruoſi, vitâ turpiſſimi, usquequaq. fœdiſſimi* fuere. *Seculum hoc uno infelix eſt*, inquit Genebrardus,

quod per annos CL, Pontifices circiter L à Joanne ſcil. VIII ad Leonem IX. usque à virtute majorum prorſus defecerint, apotactici apoſtaticive potius, quàm apoſtolici. Hinc ergo in Chronologia Bellarminus: *Vide ſeculum infelix, in quo nulli ſcriptores illuſtres, nulla concilia, Pontifices parum ſoliciti de republ. Sed divina providentia fecit, ut nullæ ſurgerent hæreſes novæ.*

11. Minutuli tamen hujus ſeculi ſcriptores poſt acta XVI Conciliorũ, adhuc è LX reſiduorum ſunt LEO SAPIENS Orientis Imperator, cujus extant *Epiſtola pro Chriſtiana fide contra Saracenos: Novellæ conſtitutiones tres: Acta Chriſti: Apparatus bellicus: Canticum compunctionis ex meditatione extremi judicii: & Sermo de cruce.* REGINO Abb. PRUMIENSIS, cujus *Chronicon & Libri de diſciplina eccleſiaſtica* ſuperſunt; niſi quòd poſteriora Chronici alius eſſe videntur. RADULPHUS mon. FLAVIACENSIS, cujus eruditi *Commentarii in Leviticū, &* Epi-

Epiſtolas Pauli, Hiſtoria & breve Chronicon hodieque leguntur. ODO CLUNIACENSIS abb. cujus aliquot habemus *Hymnos; Homilias: Vitam Geraldi: Chronicon: Vitam & translationem S. Martini epiſc. Turonenſis: Abbreviatores morales Gregorii P. in Jobum: Collationum libros: de Reverſione S. Martini é Burgundia: de Combuſtione eccleſiæ B. Mariæ.* LUITPRANDUS (aliis Eutrandus) TICINENSIS diaconus; cujus ſuperſtitant, *Antapodoſis ſive hiſtoria de geſtis regum & imperatorum ſui temporis. Opusculum de vitis Pontificum: Legatio ad Conſtantium orient. Imperatorem.* Medio ſeculo & poſt ſcripſerunt WITICHINDUS mon. Corbejenſ. (malè *Vindichinus*) *Libros III de rebus Saxonicis.* FRODOARDUS Remenſis abbas, *Chronicon Remenſe.* FLODOARDUS (quem alii rectiús eundem cum Frodoardo faciunt) *Remenſium epiſcoporum hiſtoriã.* OCCO Friſius *Hiſtoriam Friſonicã.* BRIDFERTUS mon. Rameſienſis *Scholia in Bedam de Temporibus & Natura-*

ROS-

ROSWIDIS nob. virgo Saxonica *Panegyricum de geſtis Ottonum Impp. de Laudibus B. Mariæ & B. Annæ: Paſſione Dionyſii & Pelagii martyrum: de Gengulpho & ſanctis, aliis.* Et IDIOTA quidam *anonymus*, cujus *Contemplationes de B. Maria virgine* circumferuntur; quamquam ipſe Bellarminus alibi, eò quòd verba Bernhardi referat, hunc ad finem ſeculi XII rejiciat.

III. Huc & referuntur MOSES BARCEPHAS epiſc. Syrus: cujus *Commentarios in Paradiſum* è Syriaco Latinos reddidit Andreas Maſius. Et STEPHANUS EDUENSIS epiſc., cujus liber eſt *de Sacramento altaris*. Sed, ut planè incertum eſt, quo ſeculo *iſte* vixerit; ita *hunc* recentiorem eſſe conſtat ex Trithemio aliisq; veteribus, qui Eduenſem non memorant. Cæterùm, ut pauci admodum hujus ſeculi Chriſtiani ſcriptores exſtant; ita *ſcholæ Judæorum*, quæ hactenus in Babylonia illuſtres fuerunt hac ætate diſſipatæ & abolitæ ſunt, doctoribus

bus in Hiſpaniam aliasque Europæ provincias profugientibus. Et hæc pauca etiam *de Scriptoribus ſeculi X.*

Cap. XI.

De ſeculi à N.C. undecimi Scriptoribus.

I. FRequentiores illis ſunt Seculi XI. Quo imprimis immani ambitioni aliisque inſanis cupiditatibus frenos laxavere Romani Pontifices, ſuique illimitati dominatus molem ruinis collabentis Imperii, parario imprimis Hildebrando ſeu Gregorio VII. inædificare cæperunt. Quo item ſerra contentionis de modo præſentiæ corporis & ſanguinis Domini inter Berengarium & reliquum clerum Pontificium vehementer agitata eſt. Planâ viâ hoc ſeculum decurremus, ſi *occidentis* primùm ſcriptores triplici claſſe; eorum ſcil. *qui varia, inde qui hiſtoriam, denique qui contra Berengarium ſcripſere:* poſt & *orientales* enumeremus.

II. Scri-

II. Scripſere varia: ODILO nimirũ abb. CLUNIACENSIS, *Sermones varios: Epiſtolas: Vitas item Majoli & Adelheidis reginæ.* BURCHARDUS ep. WORMATIENSIS *Libros XX Decretorum* ex conciliis, Pontificibus & patribus. BERNO abb. Augienſis cùm alia, tũ, quæ exſtant, *Vitam Vdalrici: de Officio Miſſæ & officio eccleſiæ.* Poſt medium ſeculi LEO IX Papa *Epiſtolam ad Michaëlem patriarcham Conſtantinop. contra Græcorum varias hæreſes & errores. De eadem re ad Conſtantinum Monomachum Imper. Epiſtolas alias decretales & familiares & Homilias.* GREGORIUS VII *Epiſtolas.* HUMBERTUS *E. R.* cardinalis, Sylvæ candidæ epiſc. *Dialogum contra Græcos de azymo : Librum de jejunio Sabbati.* PETRVS DAMIANVS Card. Epiſc. Oſtienſis, vir ultra ſeculi mores pius, *Epiſtolas: Apologeticum de contemtu mundi : Librum, qui dicitur, Gratiſſimus de Ordine Eremitarum: de Eccleſiaſtica inſtitutione : Simoniacæ hæreſeos confutationem ; Homi-*

lias plurimas & Gomorrhaũ; quo Pontificis & cleri Romani peſſimos mores tanta authoritate proſequitur, ut hominis pietatem & παῤῥησίαν mireris. ADO ep. TREVIRENSIS (alii malunt Viennenſis) *Martyrologium.*

III. Sequuntur tres *ANSHELMI*, quorum primus ep. *LVCENSIS* edidit *Libros 2. ex patrum ſententiis pro Gregorii VII. decreto* : *de Rebus geſtis contra Henricum Imperatorem* : & *contra Guibertum antipapam Apologeticum domini Papæ.* Alter ſcholaſticus *LAVDVNENSIS*, *Gloſſam interlinearem in univerſam ſcripturam* (ordinaria enim gloſſa, quæ ad marginem ſcribitur, Strabum Fuldenſem authorem agnoſcit, quod ſuprà vidimus) Tertius prioribus famâ eruditior i, major archiep. *CANTVARIENSIS*, infinita ferè, ut ait Trithemius, opuſcula, inter quæ tamen nonnulla falsò ei vendicantur. Verè ſunt Anshelmi, teſte *EDINERO* ipſius familiari *in Vita Anshelmi* : *Libri de Ve-*

ritate

tate: *Libero arbitrio : Caſu diaboli : Monologium : de Grammatica : Proſologium : pro inſipiente & contra inſipientem : de Incarnatione Verbi : Cur Deus homo : de Conceptu Virginali & peccato Originis : de Redemtionis humanæ meditatione : de Concordia prædeſtinationis & gratia Dei cum libero arbitrio. Epiſtolas XII :* Quibus addi debent opuſcula contra Græcos, *de Proceſſione Spiritus ſancti, de Azymo & Fermento, & de Diverſitate Sacramentorum. Stimulus item amoris & Libellus meditationum. De commentario* verò *in Matthæum & varia loca euangeliorum* dubitatur. *Comm. in epiſtolas Pauli Hervæo* ab aliis adſcribuntur. *In Canticum canticorum & Apocalypſin* Anshelmi Laudunenſis ab aliis eſſe judicantur. *Reliqua opuſcula* ut & *Commentarii in priores VII V. T. libros,* quos refert Sixtus Senenſis, Anshelmo vix à quoquam alio attribuuntur.

IV. Hoc denique tempore *GVIDO ARETINVS* abb. S. crucis Avel-

lani, author figurati cantus, quiq; huic nomina muſicarum notarū ut, re, mi, fa, ſol, la indidit, vulgò dictus MICROLOGUS, (qui titulus libri eſt.) quem ſcripſit *de Eccleſiaſticis obſervationibus.* Sic enim habet vetuſtus verſiculus *Micrologum librum ſibi dictat Guido peritus Muſicus & Monachus* &c. BRUNO civis Coloniēſis inſtitutor Cartuſianorum *Librum de Novis; Novo mundo, cœlis novis* &c. *Feſtivitatum & Homilias quasdam.* BRUNO Herbip. ep. *Commentaria in Cantica Moſis, Ann. David. Eſ. Ezech. Hab. & in Orationes Zach. Mar. Sim.* Item. *in Symb. Apoſt. Ambr. Athan.* GUNTHERUS Belga *Libros XIII de Oratione, Jejunio & Eleemoſyna.* SAMUEL MAROCHIANUS & PETRUS ALPHONSUS antea *Moſes* dictus uterque *ex Judæo Chriſtianus*, ille *Epiſtolam ad Judæos*, quâ eos ad Chriſtianam religionem avocare conatur; hic *Dialogos.*

V. *Hiſtoriam & Chronica* contexuere ſub initium ſeculi DITHMARUS

epiſc.

epiſc. Merſburgenſis, & quidem ab initio mundi. RODVLPHVS GLABER monachus, *Sui temporis*. Poſt medium HERMANNVS à membrorum contractione & debilitate dictus CONTRACTVS monachus Augienſis, *ab initio mundi*. BERTHOLDVS CONSTANTIENSIS Chronici Hermanni continuator ad annum 1065. ODORANNUS mon. Senonenſis, itidem *ab initio mundi*, ſed cujus ſolum fragmentum ſupereſt. ADAMVS Canonicus BREMENSIS, *De propagatione religionis Chriſtianæ in regnis ſeptentrionalibus* à Carolo M. usque ad Henricum IV. ADELBRANDUS ſive *Adeboldus de Vita S. Henrici Imper.* LAMBERTVS SCHAFFNABVRGENSIS monachus Hirsfeldenſis *Monaſterii ſui, atque de Rebus geſtis regum & imperatorum â Carolo M. ad* a. 1077. INGVLPHVS Anglus *Monaſteriarum Angliæ*. MARIANVS SCOTVS mon. Fuldenſis, *Univerſalem hiſtoriam ad annum Domini* 1083.

VI. Sequuntur authores, qui calamum *contra Berengarium* exercuere. Serpſerant in clero Romano jam annos 170 inde à *Bertrami* & *Paſchaſii* tempore, qui de ſacramento cœnæ diſputaverant, (vide enim c. IX.) odia & ſtudia partium latiùs; ſequentibus his veritatē, illis Paſchaſium: nec erat ex epiſcopis ambitione & avaritiâ abreptis, qui litem dirimeret. Interea BERENGARIVS Turonenſis, archidiaconus Andegavenſis, ſententiam Bertrami defendendam ſuſcipiebat; ſed cùm aliquot conciliis præcipuè Vercellenſi contra ſe ab infenſa parte, cui tranſubſtantiationis dogma magis magisq; placebat, damnatus eſt; tum adverſarios doctores nactus eſt ſequentes. FVLBERTVM *epiſc.* CARNOTENSEM præceptorem quondam ſuum *Libro de Sacramento euchariſtiæ*; hujus tamen quædam etiam *Epiſtolæ* extant, & *Liber de eccleſiaſticorum officiorum diverſitate:* quanquam egregium fuerit Fulberti de

a de Bertramo judicium, quod prodiit epitaphium, cujus initium eſt: *Quem nunc miratur, ſemper mirabitur orbis, Ille Berengarius non periturus obit.* &c. *LANFRANCUM* Italum archiep. Cantuarienſem *Libro de veritate corporis Domini in eucharistia. ADELMANNUM* ep. *BRIXIENSEM Epiſtolâ de veritate corporis Domini in ſ. eucharistia. GUITMUNDUM* epiſc. *AVERSANUM Libris 3 de corpore & ſanguine Domini in eucharistiæ ſacramento.* Hujus ſimul exſtant *Confeſſio de ſ. Trinitate: Christi humanitate, & Corporis Domini veritate. IVONEM CARNOTENSEM* epiſc. *Libro de Corpore Domini*: Idem auctor eſt *Voluminis decretorum*, ex quo poſtmodum *Pannomic*, corruptè panormia (quam vulgò cum ipſo volumine confundunt) magnam partem, tanquam compendium, confecta eſt: *Epiſtolæ de divinis eccleſiæ officiis & miniſteriis & Sermonum XXI in præcipua feſta.* Denique ſub finem ſeculi & initium ſequentis *ALGERUM* mon.

CLVNIACENSEM (Trithemius vult Corbejenſem in Saxonia) *Libris 3 de Sacramento altaris.*

VII. Superſunt Græci, primùm hiſtorici, GEORGIUS CEDRENUS homo tenuis judicii, cujus *Chronicon* eſt ab initio mundi ad ann. 1057. & JOHANNES CUROPALATES Cedreno eruditior ab anno Domini 811. ad ann. 1081. Deinde commentatores in ſ. Scripturam, THEOPHYLACTUS archiep. Bulgarorum, OECUMENIUS & OLYMPIODORUS Alexandrinæ monachus. Illius ex Chryſoſtomo præcipuè *Commentarii & catena exſtant in Oſeam, Jonam, Nahumum & Habacucum: Quatuor euangelia: Epiſtolas ſ. Pauli & Acta apoſtolorum.* Iſtius *in acta apoſtolica & epiſtolas Pauli.* Hujus denique *Catena & commentarius ex patribus in totum verè Jobum.* Quanquam hæc catena ab aliis *Nicetæ Heraclienſi episc.* tribuatur. Et ſint, qui non ſolùm de ætate hujus Olympiodori, ſed & ipſius Theophylacti & Oecumenii dubirent.

VIII.

VIII. Atque hæc de ſeculi XI. authoribus ſufficiant. Verbo tamen mentionem adhuc feciſſe operæ pretium erit *Conciliorum XCV, è quibus XXV quoad acta vel integra vel ex parte* adhuc ſuperſunt; & quorundam celeberrimorum Judæorum, qui Babylone in Europam pulſi operam non tam Talmudi, quod hactenus majores fecerant, quàm ſcripturis enarrandis, non contemnendam ponere cœperunt. Quos inter primus ſub finem hujus ſeculi Trecis in Galliæ vixit SALOMON JARCHI Rabbenu Gerſchom diſcipulus, nobisque *in Univerſam V. T. ſcripturam Commentarios* reliquit, ut antiquisſimos ſic doctisſimos. Et alter tempore & eruditione non multùm inferior R. ABRAHAM BEN EZRA, qui *eandem omnibus antiqui fœderis ſcriptis operā impendit*.

CAPUT XII.

De duodecimi à N.C. ſeculi Scriptoribus.

I. SEquitur ut SECULUM XII ſubjungamus. Habuit illud *poſt Acta XXI*, *é conciliis* [illegible] *ſeculo habitis LXXXIII*, Chronographos Latinos LEONEM MARSICANUM Caſſinenſis cœnobii monachũ, cujus ſupereſt ejusdẽ *monaſterii Chronicon*. SIGEBERTUM mon. GEMBLACENSEM, cujus exſtant *Chronica* ab anno Chriſti 381. ad 1113. *Libri de viris illuſtribus*; & *Vitæ S. Sigeberti Regis*, *Guiberti abb.* & *Theodorici epiſc.* *WILHELMUM MALMESBERIENSEM* mon. & *HENRICUM UTIDONIENSEM*, quorum *Hiſtoriæ Anglicanæ* ſuperant. *OTTONEM FRISINGENSEM* ep. virum imperatoriæ familiæ, cujus habemus *Chronicon* & *Libros duos de geſtis Friderici primi imper.* ROBERTUM S. Remigii monach. qui *Hiſtoriam ſacri belli* reliquit. Et monachum Græcum in meliorum defectu æſtimandum *JOHANNEM ZONARAM*, *Hiſtoriam ſuam* ab orbe condito contextam in anno 1118 finientem.

II Scri-

II. Scripſere verò in 4. *libros Euangeliorum* ZACHARIAS epiſc. Chryſopoleos. *In eoſdem* & *Panopliam* adverſus omnes hæreſes EVTHYMIVS ZIGABENVS. PHILIPPUS Solitarius; *Dioptram ſive regulā rei Chriſtianæ*, mon. Græci. Latini verò RVPERTVS abb. TVITIENSIS (è regione Coloniæ Agrippinæ) ſcriptor eruditus; *Commentarios in Matthæum: De Glorificatione Trinitatis & proceſſione Spiritus S. In prophetas minores: De operibus ſanctiſſimæ Trinitatis: In euangelium Iohannis: Apocalypſin: Canticum canticorum: De divinis officiis: Victoria verbi Dei, & alia opuſcula.* GOFRIDVS (Godefridus) VINDOCINENSIS abb. & Cardinalis, *Epiſtolas; Opuſcula & Sermones.* ODO CAMERACENSIS ep. *Expoſitionem canonis Miſſæ:* BERENGOSIVS abb. *De inventione crucis: de Myſterio crucis & Sermone variorum argumentorū.* HILDEBERTVS archiep. TVRONENSIS *Epiſtolas & carmina ſacra.* PETRVS Venerabilis abb. CLVNIACENSIS *de*

Miraculis ſui temporis : Contra Henricianos, item & Petrobruſianos. ROBERTUS Retenenſis Brit. *adverſus Alcoranum ad Petrum Clun.* FRANCO Belga abb. Haffliginenſis, *de Gratia Dei; Statu futuræ gloriæ ; B. Virgine ; Epiſtolas; Libros XII. de beneficentia Dei.* ROBERTI LINCOLNIENSIS non niſi philoſophica quædam exſtant.

III. Cæterùm huc ſpectat triga celeberrimorum doctorum: *BERNHARDUS ſcil.* Burgundus, abb. *CLARAVALLENSIS* regulæ atque ordinis Benedictinorum inſtaurator, vir pietate & eruditione laudatisſimus atque ob eloquentiam nominatus *Mellifluus : HUGO* Saxo ob æmulationem doctrinæ & phraſeos Auguſtini, *Lingua Auguſtini* dictus, & *RICHARDUS* Scotus, uterque monach ani Pariſienſis monaſte , & appellatus inde RE. *BERNHARDI* ſunt ejus nomini ad- *& Homiliæ* magno nu-

numero: niſi quòd dubitetur, de *Sermone de B. Maria Virgine: Cœnâ Domini: Libro ſententiarum: Vita ſolitaria ad fratres de monte Dei: Meditationibus de interiori domo: Ordine vitæ: Scala clauſtralium ſive de modo orandi: Formula honeſtæ vitæ: Speculo monachorum: Et*, qui hoſce tractatus ordine ſequuntur, *Sermonibus variis de natali Domini: Villico iniquitatis: Conſcientia: Deſcriptione Claræ vallis: Lamentatione* (inepta) *B. Virginis: Doctrina S. Bernhardi; Sermone de diſcipulis exeuntibus in Emaus: De amore Dei: Natura & dignitate amoris divini: Sermonibus duobus de paſſione Domini: Rhetorica: De modo bene vivendi: Conſcientia: Sermonibus de diverſis argumentis: Super ſalve Regina: Epiſtola quid à nobis requirat Deus: & Sermonibus de oneribus.* Pleraque tamen horum pietatem ſpirant, nec indigna lectu ſunt.

IV. HUGONIS DE S. VICTORE opera ſimiliter plurima tribus tomis excuſa in lucē producta ſunt

quorum primus *Elucidatorias annotationes in ſcripturam in genere, atq; in ſpecie in Pentateuchum, Judices; Libros Regum, Pſalmos aliquot, Eccleſiaſten, Threnos, Joëlem, Abdiam: In totum teſtamentum vetus* exceptis prophetis & libris *Sapientialibus: In quatuor Evangelia: In epiſtolas S. Pauli: & in Dionyſium Areopagitam.* Reliqui duo tomi *Opuſcula* denſo agmine continent: in iis tamen quædam tanquam ſpuria annotavit author editionis Venetæ Tomas Garzonius. Exſtat tamen inſuper apud Baronium inſignis Hugonis *Epiſtola ad Johannem Archiep. Hiſpalenſem* à fide apoſtatam. Duobus verò tomis & fermè non minori numero RICHARDI DE S. VICTORE exſtant ingenii monumenta; quorum prior *Varia* habet; poſterior *Annotationes & obſervationes in quoſdam ſcripturæ libros & loca: de Tabernaculo: Templo Salomonis. Concordia temporum in l. Regum: Quoſdam pſalmos: Canticum canticorum: de Viſione Ezechielis: Templi E-*

zechielis; In quædam dubia Apoſtoli & Apocalypſin. De *Exceptionum libris* IV. dubitat Bellarminus, ob rationes tamen, ut nobis videtur, non ita graves.

V. Medio ſeculo SECUNDAM SCRIPTORUM ÆTATEM claudunt PETRUS ABÆLARDUS, etiam Dialecticus dictus, Pariſiēſis Lombardi præcept. & HILDEGARDIS virgo: ille *de Dialectica obſcuritate ſcripſit, Apologeticum fidei ſuæ; de Eucharıſtiæ ſacramento &c.* quæ à quibusdam ſuſpecta habentur; hæc *De ſcientia viarum Dei & hominis; de Sacramento altaris contra Catharos; Homiliae in Evangelia dominic.; Vitæ meritorium; Librum 30 quæſtionū. In regulam Benedicti; De vitis Ruperti & Diſibodi; ad Sorores ſuas; ad monachos Erbacenſes; Carmina; Epiſtolas ad S. Bernhardum & alios.*

VI. Sic eccleſiaſticorum ſcriptorum ÆTAS ſequitur TERTIA, vulgò *Scholaſticorum* dicta, à medio hujus ſeculi, ad ætatem *B. Lutheri* ſe extendens.

dens, per tria ſecula & quod excurrit. Occaſionem claſſi conſtituendæ novæ dedit innovata nonnihil & immutata circa hoc tempus docendi & ſcribendi ratio. Græcis quidem ex patribus ſuis Athanaſio, Baſilio cæteriſque orientalibus, (qui mos ipſis hodieq; arridet) commentarios in ſcripturam conficientibus. Latinis verò *canonibus* colligendis atq; *theologiam* ex patrũ ſententiis in compendium redigendo, occupatis. Vixere ſcil. paulò ante medium ſeculi XII. ſimul *Gratianus* & *Lombardus*. Uterque laborem ſuum ad juvanda eccleſiæ ſtudia retulit; ille ad eccleſiæ gubernationem, hîc ad doctrinam. Ille *Magiſter canonum*, hîc *Magiſter ſententiarum* inde dictus. Ille *canoniſtarum*, hîc *ſcholaſticorum* pater. Fratres eos fuiſſe tradunt nonnulli & quidẽ ex adulterio natos, ſed id incertum eſt & falſo ſimilius. Unde adeò huic ſeculo *jus canonicum* & ſimul *ſcholaſtica theologia* ſuam debeant originem.

inco-

Interea ruptura occidentis & orientis eccleſiæ auctâ atque in inveteratum ſchisma degeneratâ : Pontificum item imperii jura invadentium, & Imperatorum eadem defendentium horribilibus diſſenſionibus & colliſionibus, famoſa ſatis hæc ſecula ſunt.

VII. Cœterùm, ut de GRATIANO, monacho familiæ Benedictinæ Bononienſis, quod hæc pagina poſtulat, priùs conficiamus; is majori, quàm reliqui quorum jam ſuprà facta mẽtio, niſu canonibus colligendis indulſit, ſolusque obtinuit, ut in ſcholis jus canonicum ſive Pontificium publicè legeretur & commentariis illuſtraretur: atque è canonibus quidem ſynodorum, libris patrum & reſcriptis Pontificum, quæ omnia perperam æquavit, & quidem ſine delectu & diſcrimine ſpuriorum atque genuinorum, congesſit DECRETUM tribus conſtans partibus. *Prima* diſtinctionibus CI de juris canonum

num & conſtitutionum differentiis, origine, authoritate & uſu: de miniſtrorum item eccleſiaſticorum ordinibus, officiis, eruditione, virtutibus, moribus &c. *Secundâ* cauſas ſive factorum ſpecies XXXVI continente de judicio eccleſiaſtico, de juribus, beneficiis & bonis eccleſiaſticis: de diſciplina pœniſque criminum: de cauſis matrimonialibus. *Tertiâ* diſtinctionibus quinque adornatâ & de *Conſecratione* inſcriptâ, quædam circa ritus & præcipuè ſacramẽtales determinante. Hactenus Decretum & opus Gratiani: quæ verò poſtmodũ ad complementum juris canonici acceſſere; *Epiſtolæ decretales*, *Conſtitutiones Clementinæ & Extravagantes*; commentaria item in ipſum decretum, ſuo enarrabimus loco.

VIII. Porrò PETRUS LOMBARDUS natione Italus, epiſc. Pariſienſis initium *Scholaſticæ theologiæ* dedit; *quatuor Sententiarum libris confectis*, quibus omnem

omnem theologiam & capita religionis, de quibus diſputari poterat, velut compendio complexus eſt; eadem ut plurimùm teſtimoniis Latinorum patrum & præſertim Auguſtini confirmans. *Tanta enim cum gloria*, ait Trithemius, *nomen ſuum ſcribendo transmiſit ad poſteros, ut usque in hodiernum diem theologorum ſchola ubiq; ſingulari veneratione MAGISTRUM eum nominet & habeat.* Hinc & in eosdem hosce libros Scholaſtici ſeculi XIII & ſubſequentium commentaria ſcribere cœperunt & certatim qs. qui in cœnobiis docebant & ocio fruebantur, in eorundem explicationem incubuerunt. Exſtant tamen etiam Lombardi *in Omnes d. Pauli epiſtolas ex patribus collectanea.*

IX. Sed reſidui hujus ſeculi ſcriptores recenſendi ſunt prius, quàm ad commentatores illos & ſeculum tertium decimum provehamur. Inter quos primò meritò nominandus PETRUS Trecis in Gallia oriun-

VI. Sequuntur authores, qui calamum *contra Berengarium* exercuere. Serpſerant in clero Romano jam annos 170 inde à *Bertrami* & *Paſchaſii* tempore, qui de ſacramento cœnæ diſputaverant, (vide enim c. IX.) odia & ſtudia partium latiùs; ſequentibus his veritatē, illis Paſchaſium: nec erat ex epiſcopis ambitione & avaritiâ abreptis, qui litem dirimeret. Interea *BERENGARIVS* Turonenſis, archidiaconus Andegavenſis, ſententiam Bertrami defendendam ſuſcipiebat; ſed cùm aliquot conciliis præcipuè Vercellenſi contra ſe ab infenſa parte, cui tranſubſtantiationis dogma magis magisq; placebat, damnatus eſt: tum adverſarios doctores nactus eſt ſequentes. *FVLBERTVM epiſc. CARNOTENSEM* præceptorem quondam ſuum *Libro de Sacramento euchariſtiæ*; hujus tamen quædam etiam *Epiſtolæ* exſtant, & *Liber de eccleſiaſticorum officiorum diverſitate*: quanquam egregium fuerit Fulberti de

ū de Bertramo judicium , quod prodit epitaphium , cujus initium eſt, *Quem nunc miratur, ſemper mirabitur orbis, Ille Berengarius non periturus obit.* &c. *LANFRANCUM* Italum archiep. Cantuarienſem *Libro de veritate corporis Domini in eucbariſtia. ADELMANNUM* ep. *BRIXIENSEM* *Epiſtolâ de veritate corporis Domini in ſ. eucbariſtia. GUITMUNDUM* epiſc. *AVERSANUM Libris 3 de corpore & ſanguine Domini in eucbariſtiæ ſacramento.* Hujus ſimul exſtant *Confeſſio de ſ. Trinitate: Chriſti humanitate, & Corporis Domini veritate. IVONEM CARNOTENSEM* epiſc. *Libro de Corpore Domini*: Idem auctor eſt *Voluminis decretorum*, ex quo poſtmodum *Pannomia*, corruptè panormia (quam vulgò cum ipſo volumine confundunt) magnam partem, tanquam compendium, confecta eſt: *Epiſtolæ de divinis eccleſiæ officiis & miniſteriis & Sermonum XXI in præcipua feſta.* Denique ſub finem ſeculi & initium ſequentis *ALGERUM* mon.

CLVNIACENSEM (Trithemius vult Corbejenſem in Saxonia) *Libris 3 de Sacramento altaris.*

VII. Superſunt Græci, primùm hiſtorici, GEORGIUS CEDRENUS homo tenuis judicii, cujus *Chronicon* eſt ab initio mundi ad ann. 1057. & JOHANNES CUROPALATES Cedreno eruditior ab anno Domini 811. ad ann. 1081. Deinde commentatores in ſ. Scripturam, THEOPHYLACTUS archiep. Bulgarorum, OECUMENIUS & OLYMPIODORUS Alexandrinus monachus. Illius ex Chryſoſtomo præcipuè *Commentarii & catena exſtāt in Oſeam, Jonam, Nahumum & Habacucum: Quatuor euangelia: Epiſtolas ſ. Pauli & Acta apoſtolorum.* Iſtius *in acta apoſtolica & epiſtolas Pauli.* Hujus denique *Catena & commentarius ex patribus in totum verè Jobum.* Quanquam hæc catena ab aliis *Nicetæ Heraclienſi epiſc.* tribuatur. Et ſint, qui non ſolùm de ætate hujus Olympiodori, ſed & ipſius Theophylacti & Oecumenii dubitent.

VIII.

VIII. Atque hæc de ſeculi XI. auctoribus ſufficiant. Verbo tamen mentionem adhuc feciſſe operæ pretium erit *Conciliorum XCV, é quibus XXV quoad acta vel integra vel ex parte* adhuc ſuperſunt; & quorundam celeberrimorum Judæorum, qui Babylone in Europam pulſi operam non tam Talmudi, quod hactenus majores fecerant, quàm ſcripturis enarrandis, non contemnendam ponere cœperunt. Quos inter primus ſub finem hujus ſeculi Trecis in Galliæ vixit SALOMON JARCHI Rabbenu Gerſchom diſcipulus, nobisque *in Univerſam V. T. ſcripturam Commentarios* reliquit, ut antiquisſimos ſic doctisſimos. Et alter tempore & eruditione non multùm inferior R. ABRAHAM BEN EZRA, qui *eandem omnibus antiqui fœderis ſcriptis operã impendit.*

CAPUT XII.

De duodecimi à N. C. ſeculi Scriptoribus.

I. SEquitur ut SECULUM XII ſubjungamus. Habuit illud *poſt Acta XXI.*, *é conciliis hoc ſeculo habitis LXXXIII*, Chronographos Latinos LEONEM MARSICANUM Caſſinenſis cœnobii monachũ, cujus ſupereſt ejusdẽ *monaſterii Chronicon*. SIGEBERTUM mon. GEMBLACENSEM, cujus exſtant *Chronica* ab anno Chriſti 381. ad 1113. *Libri de viris illuſtribus*; & *Vitæ S. Sigeberti Regis, Guiberti abb. & Theodorici epiſc.* *WILHELMUM MALMESBERIENSEM* mon. & *HENRICUM VTIDONIENSEM*, quorum *Hiſtoriæ Anglicanæ* ſuperant. *OTTONEM FRISINGENSEM* ep. virum imperatoriæ familiæ, cujus habemus *Chronicon* & *Libros duos de geſtis Friderici primi imper.* ROBERTUM S. Remigii monach. qui *Hiſtoriam ſacri belli* reliquit. Et monachum Græcum in meliorum defectu æſtimandum *JOHANNEM ZONARAM*, *Hiſtoriam ſuam* ab orbe condito contextam in anno 1118 finientem.

II Scri-

II. Scripſere verò in 4. *libros Euangeliorum* ZACHARIAS epiſc. Chryſopoleos. *In eosdem & Panopliam* adverſus omnes hæreſes EVTHYMIVS ZIGABENVS PHILIPPus Solitarius; *Dioptram ſive regulã rei Chriſtianæ*, mon. Græci. Latini verò RVPERTVS abb. TVITIENSIS (è regione Coloniæ Agrippinæ) ſcriptor eruditus; *Commentarios in Matthæum*: *De Glorificatione Trinitatis & proceſſione Spiritus S.* *In prophetas minores*: *De operibus ſanctiſſimæ Trinitatis*: *In euangelium Iohannis*: *Apocalypſin*: *Canticum canticorum*: *De divinis officiis*: *Victoria Verbi Dei*, & *alia opuſcula*. GOFRIDVS (Godefridus) VINDOCINENSIS abb. & Cardinalis; *Epiſtolas*; *Opuſcula & Sermones*. ODO CAMERACENSIS ep. *Expoſitionem canonis Miſſæ*: BERENGOSIVS abb. *De inventione crucis*: *de Myſterio crucis* & *Sermone*: *Variorum argumentorũ*. HILDEBERTVS archiep. TVRONENSIS; *Epiſtolas* & *carmina ſacra*. PETRVS Venerabilis abb. CLVNIACENSIS; *de*

Miraculis ſui temporis: Contra Henricianos, item & Petrobruſianos. ROBERTUS Retenenſis Brit. *adverſus Alcoranum ad Petrum Clun.* FRANCO Belga abb. Haffliginenſis, *de Gratia Dei; Statu futuræ gloriæ; B. Virgine; Epiſtolas; Libros XII de beneficentia Dei.* ROBERTI LINCOLNIENSIS non niſi philoſophica quædam exſtant.

III. Cæterùm huc ſpectat triga celeberrimorum doctorum: *BERNHARDUS ſcil.* Burgundus, abb. *CLARAVALLENSIS* regulæ atque ordinis Benedictinorum inſtaurator, vir pietate & eruditione laudatisſimus atque ob eloquentiam nominatus *Mellifluus*: *HUGO* Saxo ob æmulationem doctrinæ & phraſeos Auguſtini, *Lingua Auguſtini* dictus, & *RICHARDUS* Scotus, uterque monachus ſuburbani Pariſienſis monaſterii S. Victoris, & appellatus inde *DE S. VICTORE. BERNHARDI* opera genuina ſunt ejus nomini adſcripta. *Opuſcula & Homiliæ* magno

nu-

numero: niſi quòd dubitetur, de *Sermone de B. Maria Virgine: Cœnâ Domini: Libro ſententiarum: Vita ſolitaria ad fratres de monte Dei: Meditationibus de interiori domo: Ordine vitæ: Scala clauſtralium ſive de modo orandi: Formula honeſtæ vitæ: Speculo monachorum: Et,* qui hoſce tractatus ordine ſequuntur, *Sermonibus variis de natali Domini: Villico iniquitatis: Conſcientia: Deſcriptione Claræ vallis: Lamentatione* (inepta) *B. Virginis: Doctrina S. Bernhardi; Sermone de diſcipulis exeuntibus in Emaus: De amore Dei: Natura & dignitate amoris divini: Sermonibus duobus de paſſione Domini: Rhetorica: De modo bene vivendi: Conſcientia: Sermonibus de diverſis argumentis: Super ſalve Regina: Epiſtola quid à nobis requirat Deus: & Sermonibus de oneribus.* Pleraque tamen horum pietatem ſpirant, nec indigna lectu ſunt.

IV. Hugonis De S. Victore opera ſimiliter plurima tribus tomis excuſa in lucē producta ſunt:

quorum primus *Elucidatorias annotationes in ſcripturam in genere, atq; in ſpecie in Pentateuchum, Judices; Libros Regum, Pſalmos aliquot, Eccleſiaſten, Threnos, Joëlem, Abdiam: In totum teſtamentum vetus* exceptis prophetis & libris *Sapientialibus: In quatuor Evangelia: In epiſtolas S. Pauli: & in Dionyſium Areopagitam.* Reliqui duo tomi *Opuſcula* denſo agmine continent: in iis tamen quædam tanquam ſpuria annotavit author editionis Venetæ Tomas Garzonius. Exſtat tamen inſuper apud Baronium inſignis Hugonis *Epiſtola ad Johannem Archiep. Hiſpalenſem* à fide apoſtatam. Duobus verò tomis & fermè non minori numero RICHARDI DE S. VICTORE exſtant ingenii monumenta; quorum prior *Varia* habet; poſterior *Annotationes & obſervationes in quosdam ſcripturæ libros & loca: de Tabernaculo: Templo Salomonis. Concordia temporum in l. Regum: Quosdam pſalmos: Canticum canticorum: de Viſione Ezechielis: Templo Ezechi-*

zechielis : In quædam dubia Apoſtoli & Apocalypſin. De *Exceptionum libris* IV. dubitat. Bellarminus, ob rationes tamen, ut nobis videtur, non ita graves.

V. Medio ſeculo SECUNDAM SCRIPTORUM ÆTATEM claudunt: PETRUS ABÆLARDUS, etiam Dialecticus dictus, Pariſiēſis Lombardi præcept. & HILDEGARDIS virgo: ille *de Dialectica obſcuritate ſcripſit, Apologeticum fidei ſuæ*; *de Euchariſtiæ ſacramento & c.* quæ à quibusdam ſuſpecta habentur; hæc *De ſcientia viarum Dei & hominis*; *de Sacramento altaris contra Catharos*; *Homilias in Evangelia dominic*; *Vitæ meritorium*; *Librum 30 quæſtionū.* *In regulam Benedicti*; *De vitis Ruperti & Diſibodi*; *ad Sorores ſuas*; *ad monachos Erbacenſes*; *Carmina*; *Epiſtolas ad S. Bernhardum & alios.*

VI. Sic eccleſiaſticorum ſcriptorum ÆTAS ſequitur TERTIA, vulgò *Scholaſticorum* dicta, à medio hujus ſeculi ad ætatem *B. Lutheri* ſe extendens.

dens, per tria ſecula & quod excurrit. Occaſionem claſſi conſtituendæ novæ dedit innovata nonnihil & immutata circa hoc tempus docendi & ſcribendi ratio. Græcis quidem ex patribus ſuis Athanaſio, Baſilio cæteriſque orientalibus, (qui mos ipſis hodieq; arridet) commentarios in ſcripturam conficientibus. Latinis verò *canonibus* colligendis atq; *theologiam* ex patrũ ſententiis in compendium redigendo, occupatis. Vixere ſcil. paulò ante medium ſeculi XII. ſimul *Gratianus* & *Lombardus*. Uterque laborem ſuum ad juvanda eccleſiæ ſtudia retulit; ille ad eccleſiæ gubernationem, hîc ad doctrinam. Ille *Magiſter canonum*, hîc *Magiſter ſententiarum* inde dictus. Ille *canoniſtarum*, hîc *ſcholaſticorum* pater. Fratres eos fuiſſe tradunt nonnulli & quidẽ ex adulterio natos, ſed id incertum eſt & falſo ſimilius. Unde adeò huic ſeculo *jus canonicum* & ſimul *ſcholaſtica theologia* ſuam debeant originem

hæ-

Interea ruptura occidentis & orientis eccleſiæ auctâ atque in inveteratum ſchisma degeneratâ : Pontificum item imperii jura invadentium, & Imperatorum eadem defendentium horribilibus diſſenſionibus & colliſionibus, famoſa ſatis hæc ſecula ſunt.

VII. Cœterùm, ut de GRATIANO, monacho familiæ Benedictinæ Bononienſis, quod hæc pagina poſtulat, priùs conficiamus; is majori, quàm reliqui quorum jam ſuprà facta mẽtio, niſu canonibus colligendis induſit, ſolusque obtinuit, ut in ſcholis jus canonicum ſive Pontificium publicè legeretur & commentariis illuſtraretur : atque è canonibus quidem ſynodorum, libris patrum & reſcriptis Pontificum, quæ omnia perperam æquavit, & quidem ſine delectu & diſcrimine ſpuriorum atque genuinorum, congesſit DECRETUM tribus conſtans partibus. *Primâ* diſtinctionibus CI de juris canonum

num & conſtitutionum differentiis, origine, authoritate & uſu: de miniſtrorum item eccleſiaſticorum ordinibus, officiis, eruditione, virtutibus, moribus &c. *Secundâ* cauſas ſive factorum ſpecies XXXVI continente de judicio eccleſiaſtico, de juribus, beneficiis & bonis eccleſiaſticis: de diſciplina pœnisque criminum: de cauſis matrimonialibus. *Tertiâ* diſtinctionibus quinque adornatâ & de *Conſecratione* inſcriptâ, quædam circa ritus & præcipuè ſacramẽtales determinante. Hactenus Decretum & opus Gratiani: quæ verò poſtmodũ ad complementum juris canonici acceſſere; *Epiſtolæ decretales*, *Conſtitutiones Clementinæ & Extravagantes*; commentaria item in ipſum decretum, ſuo enarrabimus loco.

VIII. Porrò PETRUS LOMBARDUS natione Italus, epiſc. Pariſienſis initium *Scholaſticæ theologiæ* dedit; *quatuor Sententiarum libris confectis*, quibus

omnem

omnem theologiam & capita religionis, de quibus diſputari poterat, velut compendio complexus eſt; eadem ut plurimùm teſtimoniis Latinorum patrum & præſertim Auguſtini confirmans. *Tanta enim cum gloria*, ait Trithemius, *nomen ſuum ſcribendo transmiſit ad poſteros, ut usque in hodiernum diem theologorum ſchola ubique ſingulari veneratione MAGISTRVM eum nominet & habeat.* Hinc & in eosdem hosce libros Scholaſtici ſeculi XIII & ſubſequentium commentaria ſcribere cœperunt & certatim qs. qui in cœnobiis docebant & ocio fruebantur, in eorundem explicationem incubuerunt. Exſtant tamen etiam Lombardi *in Omnes d. Pauli epiſtolas ex patribus collectanea.*

IX. Sed reſidui hujus ſeculi ſcriptores recenſendi ſunt prius, quàm ad commentatores illos & ſeculum tertium decimum provehamur. Inter quos primò meritò nominandus PETRUS Trecis in Gallia oriun-

oriundus, dictus ab aſſidua tractatione, quâ ſacrum bibliorum codicem qs. devoraverat, COMESTOR duobus jam nominatis magiſtris additus tertius, *Hiſtoriæ* ſcil. *ſcholaſticæ*, eorundem quandoque habitus, ſed falſò, frater. Edidit autem *Hiſtoriam ſcholaſticam*, quâ ſacram utriusque Teſtamenti hiſtoriam continuata ſerie contexuit. Coævus ſuperiorum eſt GILBERTUS PORRETANUS epiſc. Pictavienſis. vir acutus & eruditus, ſed hæreſeos infamis: hujus ſupereſt *Liber de VI principiis ſive VI poſterioribus prædicamentis.*

X. Decurrente ſeculo edidere POTHO PRUMIENSIS presbyter, *Libros de domo Dei & Magna domo ſapientiæ.* EGBERTUS abb. Schonaugienſis, *Sermones XIII adverſus Catharos hæreticos.* ARNULPHUS LEXOVIENSIS ep. *Epiſtolas & alia quædam opuſcula tam proſa, quàm ligata.* NICOLAUS CLARAVALLENSIS monach. Bernhardi Secretarius *Epiſtolas ad diverſos.* HUGO

GO ETHERIANUS natione Etruſcus, *Librum de proceſſione Spiritus S. contra Græcos*; & *de Regreſſu animarum ab inferis*. Duo S. Bernhardi diſcipuli ARNOLDUS CARNOTENSIS abb. Bonæ vallis. *De VII verbis noviſſimis à Chriſto in cruce prolatis* : *de Laudibus virginis Mariæ matris Dei* ; *Librum ſecundum vitæ S. Bernhardi*. Et GUERICUS abb. Igniacenſis, *Sermones de tempore & ſanctis*. PETRUS CELLENSIS abb: *De panibus*: *de Tabernaculo Moſis*: *de Conſcientia*: *Epiſtolas plurimas*. JOHANNES SARESBERIENSIS, epiſc. Carnotenſis; *Vitam ſ. Thomæ Cantuarienſis* : *Opus pœnitentiale* : *Objurgationem cleri* : *Policraticum* : *De nugis curialium* : *Epiſtolas ad diverſos*. PETRUS BLESENSIS Gallus archidiaconus in Anglia Bathonienſis varia eruditione Sarisberienſ. minor, *Tractatum de transfiguratione Domini* : *de Converſione S. Pauli* : *Compendium in Jobum* : *de Hieroſolymitana peregrinatione* : *Inſtructiones fidei ad Soldanum Iconji* : *de Confesſione ſacramentali*: *de*

li: de Satisfactione à ſacerdote injungenda: Canonem epiſcopalem; ſive *de inſtitutione epiſcopi: Invectivam contra depravatorem: de Amicitia Chriſtiana: Epiſtolas.* JOACHIMUS abbas Florenſis, *in Eſaiam, Hieremiam & Apocalypſin: Concordiam item Teſtamenti V. & N.* Idem author eſt, cujus nomine *Vaticinia de futuris pontificibus Romanis* à curioſulis circumferuntur.

XI. Huc & Græci ſpectant THEORIANUS & THEODORUS BALSAMON patriarcha Antiochenus; illius excuſus eſt, *Dialogus cum Generali Armeniorum de erroribus eorundem habitus*; hujus *Commentarius in Nomocanonem Photii*, item *in canones variorum conciliorum atque ſ. patrum.* Et tandem etiam *Hiſtorici*: inter quos GUILELMUS archiepiſc. TYRI *Hiſtoriam de bello ſacro Chriſtianorum contra Saracenos è ſ. terra expulſos.* HELMOLDUS canonicus BUTZOVIENSIS *Converſarum ad veram Chriſti religionem gentium circa littus maris Balthi-*

ci.

xi. GOTHOFREDUS VITERBIENSIS Conradi III. notarius *Chronicon univerſale*, quod appellat *Pantheon*. GULIELMUS NEUBRIGENSIS & ROGERIUS de HOVEDEN *Hiſtoriam Anglicanam* conſignaverunt.

XII. Hujus loci ſunt Anglica nuper Londini edita *de Dunelmenſi eccleſia & geſtis regum Anglorum* SIMEON DUNELMENSIS mon. Ejus *continuator* JOHANNES prior Haguſtaldenſis. *De ſtatu & epiſcopatu eccleſiæ Haguſtaldenſis; De geſtis item R. Stephani & bello Standardi* RICHARDUS prior HAGUSTALDENSIS. *De bello Standardi R. Stephani; Genealogia regum Anglorum; & Vita atque miraculis Edwardi R. & confeſſoris* AILREDUS *abb.* RIEVALLENSIS. Sub finem prorſus ſeculi RUDOLPHI de DICETO *Abbreviationes Chronicorum & Imagines hiſtoriarum*. JOHANNIS BROMTON abb. Jornallenſis *Chronicon* ab *a. Ch.* 588. *ad* 1198. Et GERVASII mon. DORO-

BOR-

BORNENSIS Chronicon & tractatus quidam eccleſiæ Dorobornenſis.

XIII. Tandem & hoc ſeculo Judæi floruere famoſisſimi R. DAVID KIMHI & R. MOSES Ben Nachman GERUNDENSIS, quorum commentationes in ſ. ſcripturam non ultimo loco habendæ ſunt. Horumq; συγχρόνος R. MOSES BEN MAIMON, cujus non quidem in ſcripturas, ſed aliud opus inſigne exſtat, quod *Jod* vocitant, item aliud cujus titulus *Moreh nebuchim* h. e. doctor perplexorum: tantæ authoritatis hic eſt apud Judæos magiſter, ut in ore illud habeant: *A Moſe usque ad Moſen non fuit qualis iſte Moſes.*

CAPUT XIII.

De decimi tertii à N. C. ſeculi Scriptoribus.

I. PRoximum eſt ſeculum XIII. quo & ſequentibus duobus dominati ſunt cōſcientiis Romani præſules indignis modis, regna & provin-

vincias occidentis argento emunxerunt, majeſtatem Regum & cumprimis Imperatorum fœdè conculcârunt, & ſpoliis imperii quin orbis Chriſtiani ſe ſuosque ditârunt. In hunc finē jus pontificium non minùs atque Cæſareum in cathedris publicis tradebatur. Ac ne quid deeſſet authoritati & potentiæ Pontificis Romani, jam antè major, quàm par erat, à Gratiano illi attributa; augēda illa fuit juſſu *Gregorii IX.* epiſtolis decretalibus, operâ RAIMUNDI de PENNAFORTI Barcinonenſis Dominicani in unum collectis. Aſſuti ergo ſunt in corpore juris canonici Decreto Gratiani EPISTOLARUM DECRETALIUM *libri V.* anno ſeculi XXX. Summam horum librorum docet nos hic verſiculus. *Præſes, judicium, clerus, ſponſalia, crimen.* Primus ſiquidem de prælatis, alter de forma judiciorum & proceſſu, tertius de clericis, quartus de ſponſalibus, quintus de delictis eorumque pœnis agit.

Sed neque ſic ſatis *alarum* Decreto acceſſit. Bonifacius proinde VIII SEXTUM DECRETALIUM, obſtetricante DINO MUGELLANO ſub finem ſeculi adjecit, ſubdiviſum in libros V. ut argumenta argumentis librorum, quæ Gregorius ediderat, reſpönderent; quód & in Clementinis & Extravagantibus communibus fuit obſervatum. *CLEMENS* ſiquidem ſub initium ſeculi ſequentis XIV. CONSTITUTIONUM *CLEMENTINARUM libros V.*: ipſiusque ſucceſſor JOHANNES XXII. *EXTRAVAGANTES XX* ſubjunxit; quibus tandem *libri V. EXTRAVAGANTIUM COMMUNIUM* à diverſis Pontificibus poſt ſextum editorum ſuperadditi, jus Pontificium claudunt. Eundem dominatum ſtabilitum atq; auctum ivere *Innocentius III Concilio LATERANENSI*, quod univerſale eſſe volunt, & *Gregorius* X LUGDUNENSI ſecundo itidem Pontificiis generali, hoc ſeculo habitis. Quin & ex

reliquis XII conciliorum actis, quæ ex XXVII in univerſum habitis adhuc extant idem hinc inde elucet.

II. Cæterùm ut ad *authores Scholaſticos* propiùs revertamur, idem hoc ſeculum, non ſolùm ordines *AVGVSTINIANORVM*, qui, quòd in eremis primùm habitare cœpiſſent, *Eremitæ* vocabantur, & *CARMELITARVM*, qui noſtratibus Palæſtinam tenentibus Carmelum montem inſederunt, poſtea verò in Europam translati, titulū *Fratrum B. Virginis* indepti ſunt, favore pontificum Romanorum mirum in modum auxit: ſed & nova illa hactenus inaudita nomina *DOMINICANORVM* & *FRANCISCANORVM* in theatrum duxit; ordines illos inſtituentibus ſub Innocentio III *Franciſco* in Italia, *Dominico* vero in Hiſpania. Atq; id etiam commemoraſſe vel maximum operæ precium erit, eadem ætate, occaſione Syriacarum expeditiónum, Ariſtotelis aliorumque philoſophorum & me-

dicorum Græca partim, partim Arabica ſcripta in Europam translata fuiſſe, & in Latinam linguam auſpiciis maximè *Friderici II.* Imp. & *Alphonſi* Hiſp. R. converſa. Indeque factū, ut eruditi maximè qui in monaſteriis mendicantium degebant, (deferbuerant enim ſtudia in collegiis canonicorum ac monaſteriis Benedictinorum) non theologicis tantùm ſtudiis ſed & ſimul philoſophicis hiſce avidè involarint. Quin & quæ philoſophicarum diſciplinarum ſubſidio explicari in theologicis poterant, in iis non incommodè ſeſe expedirent; intricatis interea hæretibus ob linguarum Græcæ & Hebrææ neglectum in iis, quæ linguarum adminiculum & inſpectionem fontium deſiderabant.

III. Ante tamen & extra hoſce Carmelitarum & Auguſtinianorum publicè confirmatos ordines, ut & inſtitutos Dominicanorum ſive Jacobitarum & Franciſcanorum ſive Mi-

norum

norum (quos quatuor mendicantium ordines vocabulum technicum CAIM comprehendit) vixere ſub initium ſeculi INNOCENTIUS III Pontifex; cujus *Sermones habemus de tempore, de Sanctis & conſecratione Pontificis; De eleemoſyna: In VII Pſ. pœnitentiales: De laude charitatis: De myſteriis miſſæ; De contemtu mundi: Encomium in Chriſtum & ejus matrem: Precationes de paſſione Chriſti: De ſanctorum veneratione: Hymnum in Chriſtum & ejus matrem: Conciones paræneticas ad concilium: Acta atque decreta concilii Lateranenſis: Epiſtolas & Conſtitutionum decretalium libros.* V. GUNTHERUS mon. Pariſienſis HELINANDUS mon. congregationis Cluniacenſis & CONRADUS URSPERGENSIS abbas, hiſtorici: illius extat *Hiſtoria Conſtantinopolitana*: iſtius *ab Orbe condito*: hujus *à Belo ad Fridericum II Imp.* HONORIUS AUGUSTODUNENSIS presbyter, cujus ſuperſunt *Summa hiſtoriarum ſive Chronicon magnum: Commentarius in libros*

Salomonis; Gemma animæ & *De ſcriptoribus eccleſiaſticis liber.*

IV. Similiter ante dictos ordines edidere ABSALON abb. Sprinckerbacenſis *Sermones ſacros*: CÆSARIUS HEISTERBACHCENSIS ord. Ciſterc. *Libros Hiſtoriarum memorabilium ſui temporis*, Et *vitam Engelberti arch. Colon.* JOH. ALGRINUS abb. Abbevillæ in Gall. & Cardinalis, *in Canticum canticorum.* DUDECHINUS abb. S. Dyſibodi *Continuationem Mar. Scoti ab a.* 1084 *ad* 1200: ut ROBERTUS abb. de Monte S. Mich. in Anglia *Sigeberti Gemblac. ab a.* 1113. *ad* 1210. Sic apud Græcos NICETAS CHONIATES *Hiſtoriam Zonaræ ad ſua tempora continuavit.* Huc non incommodè referimus JACOBUM à VITRIACO Gallum E. R. Cardinalem, epiſc. Tuſculanum; & EDMUNDUM Archiepiſc. Cantuarienſem. Hujus ſuperſtitat *Speculum eccleſiæ*; illius *Volumen magnum concionum de tempore: Hiſtoria Hieroſolymitana & occidentalis: Liber*

Liber contra Saracenos & Vita Mariæ Oegniacenſis.

V. Sed prodeant jam ordine ſuis è clauſtris *Scholaſtici*. Horum alii peculiares à Lombardo condidere ſummas; ita dictas, quod ſummatim univerſam doctrinam theologicam complectantur, alii in Summam Magiſtri ſententiarum; alii & in ipſos ſ. Scripturæ libros commentati ſunt. Omnes ſimul Philoſophica Theologicis conjunxere. Primus præcedit circa annum ſeculi XL è *Dominicanis ſive Prædicatoribus* RAYMUNDUS DE PENNA-FORTI, *Quinque* quod ſupra annotavimus *librorum epiſtolarum decretaliũ conſarcinator; Summæ* item non ineruditæ ſcriptor. Sequuntur HUGO DE S. CARO Burgundus, poſtea Cardinalis, *in Univerſam ſcripturam commentator & primus concinnandarum biblicarum Concordantiarum*, operis ſanè laborioſi, *inventor*, HUMBERTUS VIENNENSIS Gallus Prædicatorum generalis, *Interpres regulæ*

gulæ S. Auguſtini, & Librorum de VII gradibus contemplationis : De votis eſſentialibus religioſorum : De eruditione concionatorum : De officiis totius ordinis Prædicatorum : De vitis primorum patrum ſui ordinis, & multorum ſermonum ſcriptor. VINCENTIUS ep. BELLOVACENSIS *Speculi quadruplicis, doctrinalis, hiſtorici, naturalis & moralis*, vaſti operis *concinnator*. Et poſt medium ſeculi ALBERTUS ob ſapientiam ſingularem cognomento MAGNUS Suevus, epiſc. Ratisponenſis, author, ut philoſophica taceamus, *Commentariorum in libros ſententiarum. In XII. prophetas minores : in IV Euangelia : Librum item de IV. coævis : De virtutibus : De adhærendo Deo : Theologicæ veritatis : De veris perfectisq; virtutibus. De ſecretis verò mulierum & Mirabilibus libri*, ob vana ſuperſtitioſa quæ cõtinent, Alberto indigni judicantur.

VI. Ex eodem ordine, Alberto præceptore reliquisq; omnibus ſcholaſticis major exiit, THOMAS AQUI-

nus genere illuſtris, eruditione illuſtrior. Hujus, in XVII tomis, ut numerat Romana editio, exſtant; I. tomo *Vita Thomæ & Commentaria in libros Peri hermeneias & poſteriorum analyticorum.* II. *In octo phyſicorum, de cælo & mundo, de generatione.* III. *Meteororum, de anima, Parva naturalia.* IV. *Metaphyſicorum, de ente & eſſentia.* V. *Ethicorum, Politicorum.* VI. *In primum & ſecundum ſententiarum.* VII. *In tertium & quartum.* VIII. *Quæſtiones diſputatas & Quotlibeta.* IX. *Summa contra Gentiles.* X. *Prima pars ſummæ theologiæ, & Expoſitio S. Dionyſii de divinis nominibus.* XI. *Prima ſecundæ & ſecunda ſecundæ.* XII. *Tertia ſummæ pars.* XIII. *Commentarii in Jobum, in primam quinquagenam Pſalmorum, in Cantica canticorũ, in Eſaiam, in Hieremiam & Threnos.* XIV. *In Matthæum & Johannem.* XV. *Aurea catena ex patribus contexta in IV. Euangelia.* XVI. *Commentaria in omnes epiſt. S. Pauli & ſermones de tempore & de ſanctis.* XVII. *Septuaginta tria opuſcula, &*

 ſcri-

ſcriptum ſecundum in 4 libros ſententiarũ. Præter hoſce ab aliis Thomæ adſcribuntur *Commentaria in Geneſin, Maccabæorum & VII. ep. canonicas* : de hiſce tamen, an Thomæ ſunt, dubitatur. *Liber autem de Regimine principum ad Regem Cypri* omnino rejicitur.

VII. Ejusdem præceptoris auditores fuere, THOMAS CANTIPRATENSIS Brabantinus & UDALRICUS de ARGENTINA: ille *de Proprietatibus apum, & Vitas Chriſtinæ, Ludgardis atq; Mariæ de Oegnies* : hic *In quatuor ſententiarum: Summam theologiæ* & *Librum de anima* ſcripſit. Tandem & hujus claſſis ſunt, PETRUS TARANTASIENSIS, poſtea, mutato nomine, papa *Innocentius V.* & JOHANNES PARISIENSIS: uterq; ſcripſit *In IV libros ſententiarum*; & hic præterea *Quodlibeta varia*, ſed præcipuè de poteſtate regia & papali. BROCARDUS Argentoratenſis *Deſcriptionem terræ ſanctæ* : GULIELMUS HAMERUS Noveſianus *Commentaria in Geneſin* : GU-

LIEL-

LIELMUS Lugdunenſis, *De Fide, legibus & ſtile ſacramentorum*: JOHANNES GENUENSIS *Dictionarium catholicum*: Et vertit in linguam Italicam *Biblia* JACOBUS è VORAGINE.

VIII. In familia verò *Franciſcanorum* quibus & *Minorum* nomen obtigit, antiquisſimus quidem eſt ANTONIUS DE PADUA Vlyſſiponenſis, relictis poſteritati *Concionibus de tempore & de ſanctis*: Sed celebrior eſt ALEXANDER ab ALES Scotus, honorario titulo *Doctor irrefragabilis* dictus, author *Summæ Theologiæ* juſſu Innocentii IV conſcriptæ: *Poſtillæ in totâ Biblia*, nec non *Summæ virtutum*. Magnum imprimis decus ſuæ ſocietatis porrò ſequitur Aleſii diſcipulus, amicus & condiſcipulus Thomæ BONAVENTURA Italus, epiſcopus Albanenſis & Cardinalis, Sed operum hujus Doctoris vocati *Seraphici*, VIII tomis diſtributorum catalogum nimis prolixum, reſiduum capitis non capit, nobis ſolùm notabilis

Pſalterio ad B. Mariæ laudes blaſphemè translato. Sic ex vetuſtioribus DAVID Auguſtanus eſt, cujus devota ſcripta ſunt, *Formula novitiorum, Formula interioris hominis, & vita Gualfhardi.* Inclinante ſeculo eundem ordinem profesſi ſunt RUPERTUS de RUSSIA & RICHARDUS DE MEDIA VILLA Anglus, *Doctor Auctoratus*; uterque *in Libros IV. ſententiarum & Regulam Franciſci* commentatus eſt; ille præterea *Librum de anima* ſcripſit, hic contra *Petrum Johannem.* Ultimo hîc ediderunt GUIBERTUS (Gilbertus) Tornacenſis *Tractatum de officio epiſcopi & eccleſiæ ceremoniis.* JOH. PECCAM Anglus *Collectorium bibliorum*, JOH. GALENSIS (*Valenſis*) *Margaritam doctorum ſive locos communes varii argumenti: Alphabetum vitæ religioſæ: Breviloquium de philoſophiæ dignitate: Breviloquiũ de 4. virtutibus cardin. & Compendiloquium de vitis illuſtrium philoſophorum.*

IX. Auguſtiniani ſub finem ſecu-

li.

libsos jactant nec immeritò. EGIDIUM ROMANUM archiep. Bituricenſem., & AUGUSTINUM TRIUMPHUM Anconitanum Thomæ ac Bonaventuræ auditores condiſcipulos. Illius ex theologicis hodie exſtant, *Commentaria in primum & ſecundum ſententiarum: in Exaemeron: in Cantica Canticorum: in Epiſtolam ad Romanos: in Capit: Firmiter, & in cap. Marthæ. Themata de ſacramento altaris & de corpore Chriſti: de renunciatione Papæ: Libellus ſcriptus occaſione clerici minùs ſufficienter ad ſubdiaconatum promoti: Quomodo Reges poſſint bona regni eccleſiis elargiri: de Regimine principum libri tres. Quodlibeta. Tractatus contra exemtos: De divina influentia in Beatos: De laudibus divinæ ſapientiæ: De defectu malorum culpæ: De prædeſtinatione* &c. *De peccato originali: Caſtigatorium in corruptorium librorum Thomæ Aquinatis. Opuſcula verò in Orationem Dominicam & ſalutationem angelicam, uti & Tractatus de corpore Chriſti, ſuperioribus inſeri ſolita.*

non ſunt omnino certa opera Ægidii. Hujus *Summa de poteſtate eccleſiaſtica*, *Commentarius in Canticum B. Virginis & ſalutationem Angelicam Deiparæ*, & ſimilia alia.

X. Extra verò hoſce mendicantium ordines eruditionis ſcholaſticæ famam ſibi acquiſivere circa annum ſeculi XL., *JOHANNES SIMECA*, dictus Teutonicus, propoſitus Halberſtadienſis, Accurſii primi in jus civile commentatoris σύγχρονος, ipſe primus *in Decretum Gratiani* commentator. GUILIELMI duo epiſcopi, alter *ANTISIODORENSIS*, alter *PARISIENSIS*; ille editâ *Summâ Theologiæ*: hic *Libris de S. Trinitate*: *De primo principio*: *De Sacramentis*: *Cur Deus homo*: *Summâ virtutum*: *Summa vitiorum*: *De fide & legibus*: *De animabus hominum*: *De bono & malo*: *De univerſo*: *De profeſſione novitiorum*: *De dono Scientiæ*: *De operibus virtutum*: *De remediis tentationum*: *De pluralitate beneficiorum*: *De clauſtro animæ*: *De rhetorica divi-*

ca divina: De pœnitentia: De Damnibus: In exameron: In Pſalterium: In proverbia Salomonis: In eccleſiaſten: In Cantica Canticorum: In euangelium Matthæi; Sermonum: Epiſtolarum: De collectione & pluralitate beneficiorum eccleſiaſticorum.

XI. Reliqui vel primò jus Canonicum ſuis commentariis illuſtravere, ut *INNOCENTIVS IV.* papa *ſuo Apparatu ſuper Decretales. HENRICVS* Cardinalis epiſc. Hoſtienſis, *Expoſitione ſuper epiſtolas decretales;* hujus tamen & *Summa exſtat.* GUIDO GROSSUS, Narbonenſis poſtea *Clemens IV. Super primum & ſecundum decretalium.* GUIDO BASIUS, archidiaconus Bononienſis, *Commentario in decretum Gratiani,* quod *Roſarium* appellatur, *inq; epiſtolas decretales.* BERNHARDUS PRESBYTER, Compoſtellanus *Lecturâ in* 1. *decretaliũ Commentat. ſuper libros* 5. *decretaliũ & Caſibus ſuper l.* 5. *decretalium Atq; DINVS MVGELLANVS in Titulum de regulis juris in*

ſexto,

ſexto. Vel deinde Chronicis noti ſunt:: *Rerum quidem ab orbe cond. ad ann.* 1256. *geſtarum* *ALBERTVS* Germanus (*alii* Piſanus) abb. STADENSIS poſtea Franciſcanus, *Anglicarum MATTHEVS PARISIENSIS,* Anglus, monach. congregationis Cluniacenſis. At *rerum geſtarum inter Pontificios & Imperatorem MARTINVS* natione Polonus. *Germanicarum* item *HENRICVS STERO* mon. Benedictinus Altahenſis.

XII. Vel tertio varia in lucem emiſere BENIGNUS Florent. abb. *Hiſtorias XV. ſuæ religionis & Clauſtrum animæ*, & cadente ſeculo *ROBERTVS SORBONA*, inſtitutor collegii Sorbonæ Pariſienſis, *Opuſcula*, *de Conſcientia : De confeſſione : De itinere ad paradiſum.* *GVLIELMVS DVRANTES* Gallus epiſcopus Mimatenſis, dictus *Speculator*, *Speculum juris Rationale divinorum officiorum* & *Repertorium juris.* *RAYMVNDVS LVLLVS* Majoricanus, *Artem magnam & parvam.* Et deniq; *HENRICVS GANDAVENSIS* Archidiaco-

diaconus Tornacenſis, ob eruditionem *Doctor ſolemnis* nominatus. *Opus Quodlibetorum: Summam quæſtionum ordinariarum: De virginitate* & *pœnitentia: Commentaria in libros Ariſtotelis Phyſicorum* & *Metaphyſicorum: De viris illuſtribus.* Quibus denique ſubnectimus nobile ſororũ par GERTRUDAM abb. Helffræ in urbe Eislebia. & MECHTILDIM, monialem ejusdem cœnob. illa nobis reliquit *Exercitia ſpiritualia, & alia quædam*; hæc *De ſpirituali gratia, & Revelatione.* E Rabbinis merito laudamus MOSCHEN ABEN. TAFON *qui Euclydem vertit in Hebræum*: Et MENAHEN RACCANATH; *Libri Raccanath* ſcriptorem. Atq; ſic etiam abſolvimus ſeculum XIII, Scholaſticorum primum & fortè optimum.

CAPUT XIV.

De decimi quarti à N. C. ſeculi Scriptoribus.

I. PRæſenti capite percurrendum venit

venit SECULUM à nato Chriſto XIV. quo Pontifices ſuo ſubjicere orbem imperio non deſtitere. Clemens V, is, qui jus Pontificium Clementinis auxit, Viennenſi concilio Templariorum ordinem ſuſtulit, & feſtum corp. Chriſti ante annos circiter L ab Urb. IV. inſtitutum confirmavit, imò eousq; arrogantiæ devenit, ut quum moveri vellet in Palæſtinam, ad Angelos mandata ſua extenderet.

II. Seculum hoc *Scholaſticorum medium* eſt, quo ſua methodo perrexere in ſtudiis tam theologicis, quàm philoſophicis, & ita quidem graviter, ut res in contentiones abierit, æmulatione intercedente inter familiam Dominicanam Aquinatis ſui placita ſequentem & Franciſcanam ſuo Scoto deditam. Augebat diſſenſionem favor Pontificum, quem ſibi conciliaverant Dominicani; Pontifici ſtrenuâ, contra Albigenſes ſive Waldenſes & alios tyrannidem Pontificiam dedignantes, ipſosque Impe-

rato-

ratores, præſtitâ operâ: cùm contrà plurimi è Franciſcanis à partibus Ludovici Bavari ſtarent. Inde Johannes XXII, ut *illis* gratiam referret & *hos* premeret, Thomam divum eſſe jusſit; quem inſuper invidioſo elogio *Angelici doctoris* ſui ornârunt, quum ab altera parte Franciſcani ſuum Bonaventuram *Seraphicum*, quod ſuprà diximus, vocarent.

III. Placet verò, quòd plurimos eosque doctisſimos habuerit viros ordo Franciſcanorum, eosdem hoc ſeculo præmittere. Eorum dux ac præceptor fuit, qui ultima præcedentis ſeculi jam illuſtraverat, JOHANNES DUNS SCOTUS, Oxonienſis pòſt Pariſienſis academiæ Profeſſor; Thomæ Aquinatis æmulus, ob diſputandi acumen *doctor Subtilis* nuncupatus. Reliquit nobis alter hic ſcholaſticorum oculus *Scriptum Oxonienſe in 4 libros ſententiarum: Scriptum Pariſienſe in eosdem: Librum Quodlibetorum: Collationum Pariſienſium: De primo*

primo principio rerum: *Theorematum*: *De cognitione Dei*: *Tetragrammata quædam*: *Sermones de tempore & de ſanctis*: *Commentaria in Geneſin, in Euangelia & epiſtolas ſubobſcura.* In philoſophicis, *Quæſtiones in Ariſtotelis organum, de anima, Metaphyſica & Phyſica.*

IV. Ducem & præceptorem ordine ſequuntur ſcriptores celebres PETRUS AUREOLUS Aquitanus Archiepiſc. Aquenſis, *doctor Facundus*, *Commentario in primum librum ſententiarum.* ANTONIUS ANDREAS Arrago, *Commentario in IV. libros ſententiarum*: FRANCISCUS MAYRONIS in Gymnaſio Pariſienſi, appellatus *doctor Illuminatus*; actus Sorbonici, quo integrum diem ſine prandio incipiente Franciſcano & finiente Dominicano, diſputatur, primus inſtitutor: *Commentariis in libros IV. ſententiarum*: *Quodlibetis*: *Formalitatibus*: *De principio*: *De expoſitione divinorum nominum*: *De univocatione*: *Quadrageſimali*: item *Sermonibus de ſanctis*: *De paupertate*:

pertate Chriſti & Apoſtolorum: De virtutibus & vitiis capitalibus: De articulis fidei: Baptiſmo: Humilitate: Indulgentiis: Angelis: Suffragiis defunctorum: Pœnitentia: Jejunio: Vltimo judicio & ſeptem donis Spiritus ſ. GUILIELMUS OCCAM Anglus *Lima ingeniorum*, Ludovici Imperatoris contra Papam defenſor, *Commentariis in IV libr. ſent. Quodlibetis: De fautoribus hæreticorum: De ſacramento altaris: Compendio theologiæ: De actibus hierarchicis: Ingreſſu ſcientiarum: Paupertate apoſtolorum: Poteſtate pontificum & imperatorum: Opere nonaginta dierum: Dialogo.* MONALDUS Dalmata archiep. Beneventi; *Summa juris Canonici*, quæ *aurea* dicitur: *Quæſtionibus in IV libr. ſent nt. & ſermonibus* MALACHIAS HYBERNICUS, *de Veneno peccatorum mortalium deq. remediis ipſorum*: Et PHILIPPUS è MONTE CALERIO *Concionibus* & *aliis quibusdam.*

V. Imprimis verò ordinem ſuum condecoravit ex Judæo Chriſtianus

NICO

NICOLAUS, à patria Lira Brabantiæ oppido, vulgò nuncupatus LIRANUS, vir Hebraicarum literarum peritiſſimus, laudatus maximè *Interpretatione univerſæ ſcripturæ : Libro de corpore Chriſti : Sermonibus de tempore & de ſanctis : contra Judæos : Commentariis in IV libr. ſent. Quæſtionibus Vet. & N. Teſtamenti. Tractatu de Viſione Dei : Expoſitione X præceptorum : Tractatu denique de idoneo miniſtrante & ſuſcipiente ſacramentum altaris.* Ejusdem familiæ, ſed non ex diſciplina Scoti PELAGIUS ALVARUS Hiſpanus epiſc. Sylvenſis ; *Opere de planctu eccleſiæ : Apologiâ contra Occamum : Speculo regum & Comment. in IV ſentent.* Et tandem ADAMUS GODDAM Anglus *Comment. in IV. l. ſent.* Atque hi ante medium ſeculi vixere, ut familia *Minorum* priori, quàm poſteriori ævi hujus parte fuerit illuſtrior, quâ unicus tantùm exſtat GULIELMUS WADEFORDE Anglus *In refutatione* XVIII. *articulorum Wicleſi.*

VI. Æ-

VI. Æmuli horum è grege Dominicanorum Thomæ defenſores in publicum emiſère DURANDUS à S. PORCIANO Gall. Epiſc. Meldenſis, theologus eruditus & ingenii liberi: *Commentarios in IV. l. ſentent.* & *De origine Juriſdictionum.* HERVÆUS NATALIS Brito, ordinis ſui Magiſter generalis, æqualis Durandi. Præter philoſophica: *In epiſtolas S. Pauli: In IV. l. ſentent. De poteſtate Papæ: De Sacramentis:* De *Chriſti & apoſtolorum paupertate: De utraq; poteſtate Papali & Regia: De beatitudine: Quodlibeta: Adverſus Durandum, ubi is à Thoma diſſentit: Contra eundem, de univerſitate formarum: Contra Henricum à Gandavo.* PETRUS PALUDANUS Burgundus, Patriarcha Hieroſolymitanus, (aliis Conſtantinop.) *In IV l. ſentent. & ſermones de tempore.*

VII. Circa medium ſeculi BARTHOLOMÆUS PISANUS *Summam*, quam inſcribit *Magiſtrutiam*, vulgò dictam *Piſanam*. HENRICUS SUSO, aliis

aliis Amandus, Germanus; *Horologium ſapientiæ: De novem rupibus: Meditationes C. de paſſione Domini: Officium quotidianum: De æterna ſapientia: Conciones atq; epiſtolas: Dialogum de veritate.* ROBERTUS HOLKOTH Anglus, doctiſſimus acad. Oxonienſis Profeſſor; *Lectiones in librum ſapientiæ: Cantica Canticorum & VII priora cap Eccleſiaſtici; In IV. l. ſent.* NICOLAUS GORRAM ordinis per Galliam Provincialis & Philippo R. à ſacris, *Commentaria in Pentateuchum: Pſalmos: Cantica: Eccleſiaſten: Eccleſiaſticum: Hieremiam: Euangelia: Ep. S. Pauli: Ep. Canonicas: Apocalypſin & IV. l. ſentent.* NICOLAUS EYMERICUS Gerundenſis Catalonus *Directorium inquiſitorum.* ANONIMUS quidam *Theologiam myſticam.* Et denique pietatis laude celeberrimus JOHANNES TAULERUS Germanus, Concionator Colonienſis. *Sermones de interioris vitæ perfectione: Tractatus aliquot de virtutibus Flores de veris virtutibus; Epiſtolas ad di-*

diverſos: Cantica ſpiritualia: De IX gradibus Chriſtianæ perfectionis: Speculum & exemplar Domini noſtri IESV CHRISTI: Exercitia de vita & paſſione Chriſti. Homilias linguâ ſcriptas vernaculâ.

VIII. Auguſtinianorum cœtum hi quinque ornârunt. Circa initia xvi SIMON DE CASSIA, natione Hernicus, *Libris de rebus geſtis Domini Salvatoris: De ſpeculo crucis: Epiſtolis ad diverſos: De vita Chriſtiana atque Expoſitione Symboli apoſtoli* Et BONAVENTVRA PATAVINVS *Commentario in I. ſententiarum & Speculo Mariæ.* Circa medium verò THOMAS ARGENTINENSIS ordinis prior generalis, *Commentariis in IV. l. ſent. Quæſtionibus é ſ. Scripturis ſolutis: Sermonibus: Epiſtolis & Meditationibus.* Hujusque in officio ſucceſſor GREGORIUS ARIMINENSIS *doctor Authenticus, Commentariis in I. & II. l. ſent. In epiſt. S. Pauli & S. Jacobi.* Circa finem JORDANUS DE SAXONIA *Sermonibus de tempore. & libro de Communionibus, neceſſariis vitam monaſti-*

cam Profitentibus. Duo verò Carmelitarum: GUIDO natione Catalanus ordinis prior generalis & poſt. ep. Majoricenſis: *Volumine ingenti de hæreſibus.* & JOHANNES DE BACCON Anglus, ordinis prior provincialis Theologus Pariſ. percelebris, plurimis operibus, inter quæ excuſa proſtant *Commentarii in l. Sent. Compendium legis Chriſti & Quodlibeta.*

IX. Extra mēdicantium cœnobia hoc ſeculo floruere & quidem eruditione ſcholaſtica, tres Carthuſiani *HENRICVS de HASSIA, LVDOLPHVS* ſive Landolphus *SAXO* & *GVERNERVS.* ille *in magiſtrum ſent. Geneſin: Exodum: Proverbia Salomonis: Apocalypſin ſ. Johannis.* Item *Dialogum inter epiſcopum & presbyterum: Sermones varios: Regulas ad diſcernendum peccatum lethale à veniali,* ſcripſit: iſte è IV Euangeliſtis *Hiſtoriam vitæ Chriſti & Commentaria in Pſalmos:* hic verò *Enucleamenta allegorica bibliæ.* Sic *ASTESANVS ASTENSIS* in ſubalpinis *Summam caſu-*

um

conſcientiæ. *ALPHONSVS VARGAS* Hiſpanus archiep. Hiſpalenſis, *In I. ſentent. & libros de anima.* *RICHARDVS RADVLPHVS* Archiep. Armachanus, *Libros XIX. adverſus errores Armenorum; adverſus religioſos mendicantes.* *JACOBVS LAVSANNENSIS* theol. Pariſienſis Opus moralitatum. Et fine ſeculi academiæ Heidelbergenſis Rector primus *MARSILIVS* ab *INGEN* Germanus Occamum in plerisque ſequens, *Comment. in IV. l. ſent.*

X. At Commentariis in jus præſertim Pontificium *PETRVS BERTRANDVS* ep. Eduenſis & Cardin. editis *Diſputatione de jurisdictione eccleſiaſtica & Libro de origine jurisdictionis.* *LVDOLPHVS* vel Lupoldus *BAMBERGENSIS*, *Libro de juribus imperii.* *JOHANNES ANDREAS* Bononienſis JCtus *Gloſſis in V. libr. decretalium* quod opus *Novellas* appellavit; *Et in ſextũ atque Clementinas: Quædam etiam adjecit* ad ſpeculum Gulielmi Durantis.

Hujus adoptivus JOHANNES GALDERINUS Bononienſis: *In libros decretalium: Conciliis & Deciſionibus.* Atque ſub extremum hujus ætatis ALBERICUS ROXIATUS Bergomenſis J.U.D. *In ſextum decretalium*, AC BALDUS UBALDUS, Italus Peruſinus; *Commentariis in libros decretalium.*

XI. Pietatis porrò praxin commẽdâre ipſi pii, præter *Simonem de Caſſia, Richardum Armachanũm, Malachiam Hybernicum & Taulerum*, quorum jam antè facta mentio JOHANNES RUSBROCHIUS Belga, editis opuſculis divini amoris plenisſimis, *Summâ totius vitæ ſpiritualis: Speculo ſalutis æternæ. Commentariis in tabernaculum Moſis: Tractatu de præcipui virtuibus: Libro de fide & judicio: De quatuor tentationibus: De VII. cuſtodiis; De VII gradibus amoris: De nuptiis ſpiritualibus.* Ante hunc FRANCISCUS PETRARCHA Florentinus archidiaconus Parmenſis, primus, poſt longum linguæ Latinæ cultioris exilium, Latinitatis cultor

ac

ac poëta poſt Auguſti ævum laureatus. Scripta ipſius IV tomis comprehenſa, etiam philoſophica aliaq; complectuntur hoc ordine. *De Remediis utriusque fortunæ : Vita ſolitaria: Otio Religioſorum : Vera ſapientia: Contemtu mundi: Septem pœnitentiales : De rep. optimè adminiſtranda: Officio & virtutibus imperatoriis : Rerum memorabilium libros : Epitomen vitarum virorum illuſtrium: De pacificanda Italia: Ad ve-* [illegible] *reip. defenſores : De libertate capeſſenda. Hortatoria ad Nicolaum Laurentium : De obedientia & fide uxoria. Epiſtolas famil. & alias varias: De ſuiipſius & multorum ignorantia : Galli anonymi in Petrarcham invectivam : Apologiam Petrarchæ contra Gallum : In medicum quendam invectivas. Epiſtolas de laurea ſumenda. Privilegium receptæ laureæ: Eclogas XII. Africam, ſive de bello Punico carmina : Epiſtolas carmine ſcriptas: Teſtamentum Petrarchæ : Carmina Italica.* Et in ſeculi exitu GERHARDVS ZVTPHANIENSIS author *Li-*

brorum de Reformatione interiori ; *Adſcenſione ſpirituali* & *Sermonum.* Huc ſpectare videtur NICOLAVS *de* CLEMANGIS *De corrupto eccleſiæ ſtatu.*

XII. Hiſtorias & Chronica tandem reliquere. SIFFRIDUS presbyter Miſnenſis *res Germanicas* ad annum 1307 Eodem tempore EBERHARDUS archidiaconus Ratisponēſis ad annum 1305. *Hiſtoriam civitatis Florentiæ atque univerſelem imprimis ſui temporis* ad annum 1348. JOHANNES VILIANUS hiſtoricus Florentinus. *ENGELBERTVS* abb. *ADMONTENSIS De ortu & fine imperii Romani.* *ARNOLDVS* abb. *LVBECENSIS ſupplementum hiſtoriæ Helmoldi.* Angli *THOMAS STVBBES Hiſtoriam Pontificum eccl. Eboracenſis.* *WILHELMVS THORNE* Aug. mon. *De rebus geſtis abbatum S. Auguſtini Cantuarienſis.* *HENRICVS KNIGHTON* Can. Leyceſtrēſis *De eventibus Angliæ à tempore R. Eduardi ad mortem R. Ricardi II.* Quibus adjungo *RICHARDI DE BV-*

RY

RI Angli, Epiſc. Dunelm. *Philobiblon* ſive de amore librorum librum. Græci NICEPHORUS CALLISTUS, cujus, ſed ſuſpectæ fidei, *Libri octodecim hiſtoriarũ* à nato Chriſto ad annũ 625. ſuperſunt; NICEPHORUS GREGORAS *De rebus orientis Nicetæ Choniatæ continuator* ad annum 1344. JOHANNES CANTACUZENUS Imp. Conſtanſtin poſtea monachus dictus *Joaſaph* Scriptor *Hiſtoriæ bellorum inter Imper. Andronicum avum & nepotem.*

XIII. Hiſce ſubjungimus BARLAAMI HIERACENSIS *Epiſtolas ad Græcos, De unione cum eccleſia Romana.* & devota NICOLAI CABASILÆ archiepiſcopi Theſſalonicenſis ſcripta. *De vita in Chriſto: De tribus Sacramentis, Baptiſmo, Unctione & Euchariſtia: Orationem in fœneratores & Explicationem liturgiæ.* MANUELIS CALECÆ *Librum contra errores Græcorum pro Latinis.* Nec reticendam hîc verſionẽ vetuſtam Gallicam ſ. ſcripturæ à NICOLAO ORESMIO Theol. Pariſienſi

emendatam. A *JOHANNE*, vero *TREVISA* Anglicé textum ſacrum fuiſſe translatum. Nec omnino ſtudia ſynagogæ quievere ſcholaſticorum ſeculis. Cujus præter R. IZHAC authorem *Libri Jeſod olam*. *R. ASCHER* Commentatorem *talmudis* hujusque filium *JAACOF Libri Arba Turim*, imprimis doctores duos notamus. R. BECHAI, qui *In pentateuchum* & *R. LEVI BEN GERSON*, Moſis Gerundenſis è filia nepotem, qui *In tota Biblia commentatus* eſt & obiit hujus ſeculi Anno LXX. Concilia Papalia habita ſunt hoc ſeculo XIX. è quibus XIII ſuperſtant.

CAPUT XV.

De ſeculi XV. & initii XVI. Scriptoribus.

I. Supereſt clasſis Scholaſticorum tertia & ultima per ſeculum à nato Chriſto XV & initium XVI ad refor-

reformationem usque eccleſiæ per Lutherum inſtitutam. Equidem longè minor hîc exiſtit ſcriptorum in doctrina ſcholaſtica exercenda fervor, quòd ingenia nobiliora vel in otium, vel verò ad alia ſtudia, & quidem nominatim juris canonici, unde auream meſſem poterant ſperare, ſeſe dederint. Hæc tamen annorum periodus inde valde celebris eſt, quòd ars typographica non ſolùm hîc inventa ſit, quibus optimæ literæ & religio mirum in modum & ſervantur & propagantur, ſed & ipſa Latinæ, Græcæ & Hebraicæ linguæ ſtudia cœperint reflóreſcere atque inſtaurari. Scil. ſeculis Scholaſticorum *Neglectæ*, quod ait Eraſmus, *bonæ literæ, faſtidita Græcanici ſermonis peritia: multoq; magis Hebraici, ſpretum eloquentiæ ſtudium, quin & ipſa lingua Latina ſic conſpurcata eſt ſubinde nova barbarie, ut jam nihil minus eſſet quàm Latina: nec hiſtoriæ, nec geographiæ, nec antiquitatis ulla cura.* Linguarum ergo ſubſidia ad eccle-

ſiæ reformationem neceſſariò prærequirebantur. Eccleſiæ juxta ſcripturam & puriorem antiquitatem reformandæ ſua integritas reddi nõ potuit, niſi reſtitutis iis literis, per quarum ignorationẽ verus ſcripturæ ex fontibus petendus ſenſus & antiquitas quoque ipſa ignorabatur.

II. Factum nimirum eſt ſingulari Dei beneficio & providentia, ut circa tempora Conſtantinopolitani excidii & paulò antè, eruditi è Græcia in Italiam transeuntes ſecum Græcas Muſas reducerent. Primus, defuncta legatione quam ad auxilia contra Turcam à Latinis impetranda obiverat, ſubſtitit in Italia atque Venetiis. Florentiæ, Romæ & Ticini Græcas literas docuit *Emanuel Chryſoloras*. Succeſſere *Georgius Trapezuntius*, *Theodorus Gaza*, *Johannes Argyropilus*, *Demetrius Chalcondiles*, *Beſſarion Cardinalis*, omnes ſimul Latinè docti. In Gallia, Pariſiis *Gregorius Typhernas*, *Hieronymus Spartiata*: cui diſcipulus è Germanis

manis obtigit *Johannes Reuchlinus*, ſeu *Capnio.* Latinæ verò literaturæ deſiderium in Italia excitaverat, cujus ſuperiori ſeculo facta mentio, *Franciſcus Petrarcha.* Hinc magno ardore & hæ literæ propagatæ à *Franciſco Poggio*, *Leonhardo Aretino*, *Franciſco Philelpho*, *Maphæo Vegio*, *Laurentio Valla*, *Ænea Sylvio*, poſtea Papa Pio II. *Domitio Chalderino*, *Pomponio Læto*, *Dominico Flocco*, *Angelo Politiano*, *Hermolao Barbaro* & *Hieronymo Savonorola*. In Germania itidem primùm à *Rudolpho Agricola* Friſio. Fautores autem & nutritii literarum reſtituendarum imprimis exſtitere *Nicolaus* V. Pontifex, & hujus exemplo *Laurentius Medices* Florentinus, civitatis ſuæ princeps. Hebraicam porrò linguam ſeculis aliquot Chriſtianis penitus ignoratam (Lirano & Paulo Burgenſi è Judaiſmo converſis exceptis) vindicavit primus & in eccleſiam reduxit, idẽ qui Græcas literas Germanis intulit *Johannes Capnio.* Quem ſubſecuti

ſunt in Hiſpania *Petrus Galatinus*: in Italia *Felix Pratenſis* theologus & *Daniel Bombergus*, typographus, quorum operâ Biblia Hebraica cũ Chaldæo Targum & commentariis inſigniorum Rabbinorum primùm Venetiis lucem viderunt eodem anno, quo B. Lutherus cum abuſibus & erroribus Pontificiis pugnare cepit.

III. Quod attinet ad eccleſiam Romanam, haud parùm illã concuſſa eſt per Bohemorum, authore, *Johanne Huſſo*, ab illa defectionem (quanquam Husſitis ſcriptores ſemper defuerint.) Ipſius verò Pontificis illimitatam arrogantiam non leviter reſtrinxit, eundem concilio univerſali ſubjiciens, *Conſtantienſe* concilium anno XIV habitum: Idem quod Joh. Huſſum & Hieronymum Pragenſem, non ſine ingenti ſuo dedecore, exusſit. Poſt annos itidem XVII pari ſeveritate concilio ſubeſſe jusſit Pontificem *Baſileenſe*. Et nata hinc in Galliis *Pragmatica ſanctio* Bituri-

turigibus anno XXXVIII à Carol. VII. Rege & proceribus regni edita & promulgata, quâ Conſtantienſe & Baſileenſe concilia recipiuntur & approbantur. Quàm ſalutariter verò hæc in conciliis decreta fuere, tam inviſa ſemper eadem unà cum Pragmatica ſanctione exſtitere Pontifici. Hinc Eugenius IV. *Ferrarienſe*, quod poſtea Florentiã tranſtulit, conciliũ Baſileenſi oppoſuit, quod Octavum vocant Græci, qui auxilii petendi gratiâ tunc aderant (Conſtantinopolitanum contra Photium, & occidentis concilia pro legitimis non habentes.) *Et Leo* X. paulò ante Lutheri concertationem in *concilio Lateranenſi*, papatum, (conſtitutionibus Conſtantienſibus, Baſileenſibus & Pragmatica ſanctione, quantum in ſe fuit, abrogatis,) ad ſummum illimitatæ dominationis faſtigium perduxit, auctoritatemq; ſuam ſupra concilium extulit. Inde Julius II. qui primus hoc inchoaverat concilium,

ſunt in Hiſpania *Petrus Galatinus*: in Italia *Felix Pratenſis* theologus & *Daniel Bombergus*, typographus, quorum operâ Biblia Hebraica cũ Chaldæo Targum & commentariis inſigniorum Rabbinorum primùm Venetiis lucem viderunt eodem anno, quo B. Lutherus cum abuſibus & erroribus Pontificiis pugnare cepit.

III. Quod attinet ad eccleſiam Romanam, haud parùm illã concuſſa eſt per Bohemorum, authore, *Johanne Huſſo*, ab illa defectionem (quanquam Husſitis ſcriptores ſemper defuerint.) Ipſius verò Pontificis illimitatam arrogantiam non leviter reſtrinxit, eundem concilio univerſali ſubjiciens, *Conſtantienſe* concilium anno XIV habitum. Idem quod Joh. Huſſum & Hieronymum Pragenſem, non ſine ingenti ſuo dedecore, exusſit. Poſt annos itidem XVII pari ſeveritate concilio ſubeſſe jusſit Pontificem *Baſileenſe*. Et nata hinc in Galliis *Pragmatica ſanctio* Bituri-

turigibus anno XXXVIII à Carol. VII. Rege & proceribus regni edita & promulgata, quâ Conſtantienſe & Baſileenſe concilia recipiuntur & approbantur. Quàm ſalutariter verò hæc in conciliis decreta fuere, tam inviſa ſemper eadem unà cum Pragmatica ſanctione extitere Pontifici. Hinc Eugenius IV. *Ferrarienſe*, quod poſteaFlorentiā transtulit, conciliū Baſileenſi oppoſuit, quod Octavum vocant Græci, qui auxilii petendi gratiâ tunc aderant (Conſtantinopolitanum contra Photium, & occidentis concilia pro legitimis non habentes.) *Et Leo* X. paulò ante Lutheri concertationem in *concilio Lateranenſi*, papatum, (conſtitutionibus Conſtantienſibus, Baſileenſibus & Pragmatica ſanctione, quantum in ſe fuit, abrogatis,) ad ſummum illimitatæ dominationis faſtigium perduxit, auctoritatemq; ſuam ſupra concilium extulit. Inde Julius II. qui primus hoc inchoaverat concilium,

audit, *Alter deus in terris*: & Leo, *Sponſus eccleſiæ*, *Leo de tribu Juda & radix David. Ceu leo rex quadrupedum, tu alter leo, hominum non alter rex tantùm, ſed regum rex, & orbis terrarum monarcha effectus*: *Ipſi uni omnis in cælo & in terra tradita à Domino poteſtas affirmatur*. Vide Seſſ. 4, 7. 9. 10. Adeò ut eccleſia ad reformationem maturuerit. *Acta horum quatuor* jam dictorum *conciliorum* una cum aliorum concil. VI ſuperſtitant.

IV. Nunc verò in ſemitam redeundum & *authores* hujus tempeſtatis quorum non pauci beneficio typographiæ ſuperſtites occurrunt, ordine recenſendi ſunt: Et *Scholaſtici* quidem primùm. Hi ſunt JOHANNES CAPREOLUS Dominicanus, Thomæ contra Scoti argumenta defenſor acerrimus: nobis autem reliquit *Comment. in IV. l. Sentent.* Sic PETRUS ab ALLIACO epiſcop. Cameracenſis & Cardin. *Comm. in IV. l. Sentent.* Item, *De laude ſcripturæ & eccleſiæ ſtabilitate*:

Quæſtiones in examerõ: Paraphraſin in Pſalmos: Meditationes in Pſalm. 30, & 41. In principium Euangelii ſecundùm Matthæum. In Orationem Dominicam & ſalutationem Angelicam: In Cantica Mariæ, Zachariæ & Simeônis: Speculum conſiderationis: Compendium contemplationis: De ſpirituali ſcala: De ſacramentis: Legibus & ſectis: Electione Pontificis: Exercitio ſpirituali: Concilio generali: 12 *honoribus Joſephi: Sermones & epiſtolas: De concordia Theologiæ cum aſtrologia & hiſtoria: De anima & accidentibus ejus: Quæſtiones in ſphæram Johannis de Sacroboſco: Tractatum in libros Meteororum, Vitam Petri Cœleſtini.* Hujus diſcipulus JOHANNES GERSON, Ordinis Cœleſtinorum, Cancellarius acad. Pariſienſis, dictus *Doctor Chriſtianiſſimus* titulo Galliæ regibus uſitato, Præſes concilii Conſtantienſis, vir reliquis ſuæ ætatis pietate, prudentia & eruditione major, Papæ & prælatorum poteſtatis nimiæ oſor atque eccleſiæ reformã-

dæ

dæ cupidiſſimus. Sed operum ejus tribus vel quatuor etiam tomis editorum amplior eſt, quàm ut hìc necenſeri queat, numerus. Coævi Gerſonis ſunt THOMAS WALDENSIS Anglus Carmelit. prior provincialis, Huſſitarũ acerrimus oppugnator. E pluribus aliis, quæ ſcripſiſſe fertur, ſolùm exſtat opus contra Huſſitas elaboratum, titulo: *Doctrina fidei antiquæ, tribus tomis diſtinctum.* AVGVSTINVS DE ROMA, monach. Auguſtin. cujus habemus *Comment. in I. li. ſent. In omnes epiſt. Pauli: Epiſt. Canonicas & Apocalypſin: Libros de peccato Originali: Libero arbitrio: Poteſtate Papæ: Sacramento divinitatis Jeſu Chriſti & eccleſiæ: Chriſto capite & ejus inclyto principatu: Charitate Chriſti erga electos.* JOH. DE CAPISTRANO Franciſcanus, qui ſcripſit *De dignitate eccleſiaſtica ad Nicolaum V.: De illuſtranda conſcientia: Cenſuris: Pœnis inferni & purgatorii: Pœnis injungendis. Reſtitutione & contractibus: Matrimonio: Concepti-*

one

one B. Virginis: Judicio univerſali & AntiChriſto: Poteſtate papæ & Concilii: Auctoritate Concilii: Speculum clericorum: De cupiditate: Paſſione Domini: Contra Huſſitas: Adverſus Johannem Rocheſanum Huſſitam: Epiſtolas. JACOBUS BROMIARDUS Dominicanus, cujus extat *Summa prædicantium.* Et ALPHONSUS TOSTATUS Hiſpan Epiſcopus Abulenſis, ob doctisſima commentaria in pleroſq; l. ſcripturæ libros eaque uberrima, quæ intra ætatis annum 40, quo mortuus eſt, conſcripſit, hunc verſum promeritus:

Hic ſtupor eſt mundi, qui ſcibile diſcutit omne.

ſed & inſuper ejus edita ſunt opuſcula præter alia mari demerſa, *Defenſorium trium concluſionum: Liber de Trinitate: Contra ſacerdotes concubinarios: Paradoxa: Explicatio verborum Eſaiæ. Ecce virgo concipiet: De ſtatu animarum poſt mortem: De optima politia:* & Hiſpanicâ linguâ XIV. *Quæſtiones.*

V. Me-

V. Medio porrò ſeculi edidere *ANTONIVS FLORENTINVS* Dominicanus *Summam theologicam: Summam hiſtorialem; & De eruditione confeſſorum:* *JOHANNES BASSOLIVS doctor Ordinatiſſimus* Franciſc. *in IV. l. ſentent.* *JOHANNES DE TVRRECREMATA* Hiſp. Dominicanus, & *Card. Summam de eccleſia: Apparatum ſuper decretum Eugenii IV. de unione Græcorum cum Latinis: Cōment. in decretum Gratiani: In pſalteriū. Euangelia Dominicalia: Euangelia de ſanctis: De Corpore Chriſti contra Bohemos: Salute animæ: Aqua benedicta: Conceptione B. Virginis: In regulam S. Benedicti: Meditationes de vita Chriſti.* *NICOLAVS CVSANVS* Germanus epiſc. Brixianus, Cardin. (*omisſis philoſophicis*) *De viſione Dei: Docta ignorantia: Reparatione calendarii: Cribratione Alcorani: Veneratione ſapientiæ: Ludo globi myſticé: Adverſus Boëmos: Conjecturam de noviſſimis diebus: De dato patris luminum: De quærendo Deo: Directoriū ſpeculantis: de Filiatione Dei: Dialogum*

de

de Geneſi: De concordia Catholica: Sermones per annum & epiſtolas ad diverſos: Dialogum de Deo abſcondito: De annuntiatione dominica : Excitationum libros X. : Epiſtolas : Complementum Theologicum. DIONYSIVS RICHOL Germanus, monach. CARTHVSIANVS tot numero opuſcula, ut præter Auguſtinum & Toſtatum vix parem apud Latinos invenias; & excuſa quidem *Commentaria ſuper totam ſcripturam: De fide Catholica dialogion: Enarrationes in IV. Euangelia: Summam fidei Orthodoxæ: De doctrina & regulis vitæ Chriſtianæ; De arcta via ſalutis & contemtu mundi: Speculum amatorum mundi: De gravitate & enormitate peccati: Converſione peccatoris, Fonte lucis & ſemita vitæ: Devotum præcordiale : Dialogum patroni ad Canonicū: Commentaria in l. IV. ſent. De IV. hominis noviſſimis: Morte: Judicio: Inferorum pœnis & gaudiis cœli. Colloquium de particulari judicio animarum.* HENRICVS GORICKEM Germ. *In IV l. ſentent.* PETRVS AQVILANVS cognomento

mento *Scotellus* Minor. In eosdem. *JOHANNES E FRIBVRGO* Domin. *Summam Confeſſorum.* *STEPHANVS BRVLIFER* Britannus Minor. *Reportata in IV. l. ſententiar. Bonaventuræ. Sermones varios, Opuſcula.* *LEONHARDVS VTINENSIS* dominic. *Tractatū ad locos communes, de legibus. Et ſermones quoſdam.*

VI. Circa finem ſeculi & initium ſequentis ad tempora Lutheri eruditionis ſcholaſticæ tandem ob[illegible]runt *GABRIEL BIEL* Germanus academiæ Tubingenſis profeſſor, in lucem emiſſis *Commentariis in IV. l. ſent. Expoſitione canonis miſſæ: & Sermonibus, per totum annum de tempore & ſanctis.* *IOHANNES PICVS Mirandulæ comes,* vir, ingenio & eruditione maximus, ætatis, quando obiit, annorum 33. *In primum caput Geneſ: In orationem Dominicam. Concluſionibus nongentis: Apologia pro concluſionibus ſuis: De ente & uno: De hominis dignitat: Regulis Chriſtianæ vitæ contra tentationes:*

In

In pſal. XVI. De Chriſti regno & mundi vanitate: Contra aſtrologiam: In convivium Platonis: Elegiis & epiſtolis variis THOMAS DE VIO, patr. CAIETANus ord. prædic. generalis & Cardinalis *Commentariis in omnem ſacram ſcripturam*, præterquam Cantica Canticorum, prophetas Apocalypſin: *Comment. in ſummam Thomæ. Opuſculis adverſus Lutherum, aliisq́; Libro jentaculorum & ſumma caſuum.* FRANCISCUS FERRARIENSIS prædicat. General. *Commentariis in ſummam Thomæ:* JACOBUS ALMAINus doctor Pariſienſis *Com. in 3. & 4. ſentent. Moralibus, Opuſculis variis*, JOHANNES MAIOR Scotus. *in IV. l. ſent. In Matthæum & Hiſtoriâ Majoris Britanniæ. ADRIANVS VI. P.* Ultrajectinus: *Diſputationibus in IV ſentent. & Epiſtolis.* FRANCISCUS LYCHETUS *Franciſc. In tres priores l. ſentent. ex mente Scoti.* JOHANNES FRANCICVS PICVS, Johannis ex fratre Nepos: *Pro veritate religionis Chriſtianæ contra gentiles: De morte*

Chri-

Chriſti & propria cogitanda: Studio divinæ & humanæ philoſophiæ: Divini amoris imaginatione: Stauroſticho: De fide & ordine credendi: Hiſtoriâ ſuorum temporum &c. GVIDO BRIANSENIVS Aurelianus Min. *In IV. l. ſentent.* JOHANNES COLONIENSIS Min. *In eosdem* & *Alia in Scotum.* ALVARUS PELARGUS *Summam.* & *De planctu eccleſiæ.* NICOLAUS ab AUXIMO Picenus Min. *Summam.* PELBARTUS OSWALDUS Temesvarienſis Minor. *Roſarium juxta IV ſent. libros quadripartitum: Sermones: Quadrageſimale triplex: Stellarium B. Virginis.*

VII. Extra hunc ſcholaſticorum numerum theologi alii hosce ingenii fœtus reliquere, aſſcendente ſeculo: VINCENTIVS FERRARIVS Valentinus Domin. *Conciones à diſcipulis collectas: Tractat. de vitâ ſpirituali: Epiſtolas, Opuſcula.* RICHARDVS HAMPOLITANVS aliis PAMPOLITANVS Angl. eremita *Enarrationem in Pſalmos: in Cantica piorum V.T. in aliquot cap. Job.* Thre-

Threnos, Orat. Dominicam, Symbola Apoſt. & Athan. FRANCISCVS ROTA Dominic. Prof. Viennenſis *De virtutibus & vitiis*. *PAVLVS* de S. Maria ex Judæo Ep. *BVRGENSIS*, *Additiones ad Liranum & Scrutinium ſcripturarum*. *BERNHARDINVS* patr. *SENENSIS* Franciſc. *Sermones de tempore: De ſanctis: contra Judæos: In apocalypſin: De euangelio æterno: Chriſtiana religione: Conceptione B. Mariæ virginis: Paſſione Domini: De virtutibus & vitiis: Fructibus Eleemoſynæ: Triplici ſtatu animæ: Triplici amore magorum: Sacrificio Abrahami: Veritate: Amore Dei & animæ: Spiritu ſ. Caſibus proprietatis: Officium nominis Jeſu: De mundana proſperitat: Paſtorali gubernatione: & S. Joſepho ſponſo Virginis: Circumſtantiis nationũ: Divino amore: Triplici Chriſti nativitate: Tribus tormentis peccatorum: Obedientia: Defenſorium veritatis.* *LAVRENTIVS IVSTINIANVS* Venetus, primus Venetiarum patriarcha: *Lignum vitæ; De diſciplina monaſtica; Connubio*

nubio verbi & animæ: Humilitate: Spirituali interitu animarum: Triumphali agone Chriſti: Interiori conflictu: Complanctu eccleſiæ: Corpore & ſanguine Chriſti: Vita ſolitaria: Contemtu mundi: Sermone Domini in cœna: Officio paſtorali: Obedientia: Gradibus perfectionis: Sermones alios quadraginta. Et duo ſecul ornamenta, *THOMAS DE KEMPIS* Belga, Canonicus. *Lib. IV. de Imitatione Chriſti* (quorum tamen authorem alii faciunt Johannem Abbatem de Gerſen, ſive de Geſſen) *Sermones ad novitios: ad Fratres: Dialogos Novitiorum: De vita ſolitaria: Tribus tabernaculis: Vera conjunctione: Hortulum Roſarum: Vallem liliorum: Alphabetum monachi: conſolationem pauperũ: epitaphium Monachi: Manuale parvulorũ: Doctrinale juvenum: De contemtu mundi: Epiſtolas ad diverſos.* Atque WESSELUS *GRONINGANUS* Concionator Wormatienſis dictus *Lux mundi* & quòd aliena à recepta ſententia doceret *Magiſt. r contradictionis: de Oratione*

one in orationem Dominicam: Providentia Dei: Incarnatione & paſſione: Poteſtate eccleſiaſtica: Sacramento pœnitentiæ: Communione ſanctorum: Purgatorio: Epiſtolas: Indulgentias: De ſacr. Eucharistiæ & audiendæ miſſa &c.

VIII. Medio ſeculi, AMBROSIUS SPIERA Tarviſinus ord. ſervorum *Sermones de floribus ſapientiæ & de Adventu.* *BARTHOLOMÆVS ANGLICVS* Min. *De proprietatibus rerum.* BARTHOLOMÆUS DE CHAIMIS Min. *Confeſſionale.* FRANCISCUS PLATEUS Min. *Summam myſteriorum Chriſtianæ fidei, alia.* *GABRIEL BARLETA* Appulus dominic. *Sermones varios.* JOHANNES GRITSCH Baſil. Min. *Quodrageſimale.* *JOHANNES HOFMAN* ep. Miſnenſis, *De communione ſub utraque.* PETRUS DE HARENTHALS *Collectarium expoſitionum pſalterii.* *RAYMVNDVS SABVNDE Hiſpanus, Theolog. naturalem.* ROBERTUS CARACCIOLUS Licienſis Min. *Varios ſermones & RODERICVS*

ZAMORENSIS ep. *Speculum vitæ humanæ.*

IX. Deſcendente ſeculo ediderũt ejusdem commatis theologi, HENRICUS HARPHIUS *Speculum aureum,* i. e., Opus de X præceptis : *de tribus partibus pœnitentiæ: Effuſione cordis: Directorium aureum contemplativorũ: Collationes tres : Sermones por Quadrageſimam : & imprimis de myſtica Theologia.* AMBROSIVS CAMALDVLENSIS ordinis abbas, Florentinus, *Tractatum de Spirit. ſ. de ſacramento corporis Chriſti: Orationes : Epiſtolas : Vitas Eugeniæ, Proti, Hyacinthi, & Johannis Chryſoſtomi: Homilias in Matth. & alia non pauca.* JACOBVS DE VALENTIA epiſc. Chriſtopolitanus, *Commentarios in pſalmos : in Cantica Salomonis. Zachariæ : B. Virginis & Simeonis, In Hymnum Te Deum laudamus: Item, contra Judæos de Chriſto.* CYPRIANVS BENETVS Aragonenſis, Dominic. *Tractatus IV. de prima orbis ſede : De concilio: De poteſtate eccleſiaſtica : De Pontificiis*

ficis maximi poteſtate. FINVS HADRIANVS Ferrarienſis, *Flagellum in Judæos:* DOMINICVS JACOBATIVS, Romanus, *Opus de Conciliis.*

X. Plures omnino alii huc ſpectant, qui *Sermones* edidere, vel *Quadrageſimales* ANTONIVS BITONTINVS. ANTONIVS VERCELLENSIS Minor. MICHAEL MEDIOLANENSIS Minor. PAULUS ATAVANTIUS Florent. ord. ſervorum. JOH. REYNARDUS Dominic. Gallus: vel *Dominicales.* ANTONIVS GISLANDVS è Javeno in ſubalpinis, Dominic. MICHAEL DE UNGARIA. OLIVERIUS MEILARDUS Britann. Minor. Pariſienſis theol. & CAROLUS BOVILLUS Veromanduus; ille tamen etiam *De peccati ſtipendio & gratiæ præmio,* hic in *Pſalmos quosdam & de laude gentium* ſcripſit. Vel *in paſſionem Domini* RAYNERVS ELAVDEMBVRG mon. Aug. Vel in *decalogum & epiſt. Pauli* GOTTSCHALCVS HOLLEN Germ. Aug. Vel *De filio*

ſiæ reformationem neceſſariò præ-requirebantur. Eccleſiæ juxta ſcripturam & puriorem antiquitatem reformandæ ſua integritas reddi nō potuit, niſi reſtitutis iis literis, per quarum ignorationē verus ſcripturæ ex fontibus petendus ſenſus & antiquitas quoque ipſa ignorabatur.

II. Factum nimirum eſt ſingulari Dei beneficio & providentia, ut circa tempora Conſtantinopolitani excidii & paulò antè, eruditi è Græcia in Italiam tranſeuntes ſecum Græcas Muſas reducerent. Primus, defuncta legatione quam ad auxilia contra Turcam à Latinis impetranda obiverat, ſubſtitit in Italia atque Venetiis. Florentiæ, Romæ & Ticini Græcas literas docuit *Emanuel Chryſoloras.* Succeſſere *Georgius Trapezuntius, Theodorus Gaza, Johannes Argyropilus, Demetrius Chalcondiles, Beſſarion Cardinalis,* omnes ſimul Latinè docti. In Gallia, Pariſiis *Gregorius Typhernas, Hieronymus Spartiata*: cui diſcipulus è Germanis

manis obtigit *Johannes Reuchlinus*, ſeu *Capnio.* Latinæ verò literaturæ deſiderium in Italia excitaverat, cujus ſuperiori ſeculo facta mentio, *Franciſcus Petrarcha.* Hinc magno ardore & hæ literæ propagatæ à *Franciſco Poggio*, *Leonhardo Aretino*, *Franciſco Philelpho*, *Maphæo Vegio*, *Laurentio Valla*, *Ænea Sylvio*, poſtea Papa Pio II. *Domitio Chalderino*, *Pomponio Læto*, *Dominico Flocco*, *Angelo Politiano*, *Hermolao Barbaro* & *Hieronymo Savonorola.* In Germania itidem primùm à *Rudolpho Agricola* Friſio. Fautores autem & nutritii literarum reſtituendarum imprimis exſtitere *Nicolaus* V. Pontifex, & hujus exemplo *Laurentius Medices* Florentinus, civitatis ſuæ princeps. Hebraicam porrò linguam ſeculis aliquot Chriſtianis penitus ignoratam (Lirano & Paulo Burgenſi è Judaiſmo converſis exceptis) vindicavit primus & in eccleſiam reduxit, idẽ qui Græcas literas Germanis intulit *Johannes Capnio.* Quem ſubſecuti

ſunt in Hiſpania *Petrus Galatinus*: in Italia *Felix Pratenſis* theologus & *Daniel Bombergus*, typographus, quorum operâ Biblia Hebraica cũ Chaldæo Targum & commentariis inſigniorum Rabbinorum primùm Venetiis lucem viderunt eodem anno, quo B. Lutherus cum abuſibus & erroribus Pontificiis pugnare cepit.

III. Quod attinet ad eccleſiam Romanam, haud parùm illã concuſſa eſt per Bohemorum, authore, *Johanne Huſſo*, ab illa defectionem (quanquam Husſitis ſcriptores ſemper defuerint.) Ipſius verò Pontificis illimitatam arrogantiam non leviter reſtrinxit, eundem concilio univerſali ſubjiciens, *Conſtantienſe* concilium anno XIV habitum. Idem quod Joh. Huſſum & Hieronymum Pragenſem, non ſine ingenti ſuo dedecore, exusſit. Poſt annos itidem XVII pari ſeveritate concilio ſubeſſe jusſit Pontificem *Baſileenſe*. Et nata hinc in Galliis *Pragmatica ſanctio* Bituri-

turigibus anno XXXVIII à Carol. VII. Rege & proceribus regni edita & promulgata, quâ Conſtantienſe & Baſileenſe concilia recipiuntur & approbantur. Quàm ſalutariter verò hæc in conciliis decreta fuere, tam inviſa ſemper eadem unà cum Pragmatica ſanctione exſtitere Pontifici. Hinc Eugenius IV. *Ferrarienſe*, quod poſteaFlorentiã tranſtulit, conciliũ Baſileenſi oppoſuit, quod Octavum vocant Græci, qui auxilii petendi gratiâ tunc aderant (Conſtantinopolitanum contra Photium, & occidentis concilia pro legitimis non habentes.) Et *Leo* X. paulò ante Lutheri concertationem in *concilio Lateranenſi*, papatum, (conſtitutionibus Conſtantienſibus, Baſileenſibus & Pragmatica ſanctione, quantum in ſe fuit, abrogatis,) ad ſummum illimitatæ dominationis faſtigium perduxit, auctoritatemq; ſuam ſupra concilium extulit. Inde Julius II. qui primus hoc inchoaverat concilium,

audit, *Alter deus in terris*: & Leo, *Sponſus eccleſiæ*, *Leo de tribu Juda & radix David*. *Ceu leo rex quadrupedum, tu alter leo, hominum non alter rex tantùm, ſed regum rex, & orbis terrarum monarcha effectus*: *Ipſi uni omnis in cælo & in terra tradita à Domino poteſtas affirmatur*. Vide Seſſ. 4,7.9.10. Adeò ut eccleſia ad reformationem maturuerit. *Acta horum quatuor* jam dictorum *conciliorum* una cum aliorum concil. VI ſuperſtitant.

IV. Nunc verò in ſemitam redeundum & *authores* hujus tempeſtatis quorum non pauci beneficio typographiæ ſuperſtites occurrunt, ordine recenſendi ſunt: Et *Scholaſtici* quidem primùm. Hi ſunt JOHANNES CAPREOLUS Dominicanus, Thomæ contra Scoti argumenta defenſor acerrimus: nobis autem reliquit *Comment. in IV. l. Sentent.* Sic PETRUS ab ALLIACO epiſcop. Cameracenſis & Cardin. *Comm. in IV. l. Sentent.* Item, *De laude ſcripturæ & eccleſiæ ſtabilitate*:

Quæ-

Quæſtiones in exameron : Paraphraſin in Pſalmos: Meditationes in Pſalm.30, & 41. In principium Euangelii ſecundùm Matthæum. In Orationem Dominicam & ſalutationem Angelicam : In Cantica Mariæ, Zachariæ & Simeónis : Speculum conſiderationis : Compendium contemplationis : De ſpirituali ſcala : De ſacramentis : Legibus & ſectis : Electione Pontificis : Exercitio ſpirituali : Concilio generali : 12 honoribus Joſephi : Sermones & epiſtolas : De concordia Theologiæ cum aſtrologia & hiſtoria : De anima & accidentibus ejus : Quæſtiones in ſphæram Johannis de Sacroboſco : Tractatum in libros Meteororum, Vitam Petri Cæleſtini.
Hujus diſcipulus JOHANNES GERSON, Ordinis Cœleſtinorum, Cancellarius acad. Pariſienſis, dictus *Doctor Chriſtianiſſimus* titulo Galliæ regibus uſitato, Præſes concilii Conſtantienſis, vir reliquis ſuæ ætatis pietate, prudentia & eruditione major, Papæ & prælatorum poteſtatis nimiæ oſor atque eccleſiæ reformã-

dæ

dæ cupidiſſimus. Sed operum ejus tribus vel quatuor etiam tomis editorum amplior eſt, quàm ut hîc neceſeri queat, numerus. Coævi Gerſonis ſunt THOMAS WALDENSIS Anglus Carmelit. prior provincialis, Huſſitarũ acerrimus oppugnator. E pluribus aliis, quæ ſcripſiſſe fertur, ſolùm exſtat opus contra Huſſitas elaboratum, titulo: *Doctrina fidei antiquæ, tribus tomis diſtinctum.* AUGUSTINUS DE ROMA, monach. Auguſtin. cujus habemus *Comment. in 1. li. ſent. In omnes epiſt. Pauli: Epiſt. Canonicas & Apocalypſin: Libros de peccato Originali: Libero arbitrio: Poteſtate Papæ: Sacramento divinitatis Jeſu Chriſti & eccleſiæ: Chriſto capite & ejus inclyto principatu: Charitate Chriſti erga electos.* JOH. DE CAPISTRANO Franciſcanus, qui ſcripſit *De dignitate eccleſiaſtica ad Nicolaum V.: De illuſtranda conſcientia: Cenſuris: Pœnis inferni & purgatorii: Pœnis injungendis, Reſtitutione & contractibus: Matrimonio: Conceptione*

one B. Virginis: Judicio univerſali & AntiChriſto: Poteſtate papæ & Concilii: Auctoritate Concilii: Speculum clericorum: De cupiditate; Paſſione Domini: Contra Huſſitas: Adverſus Johannem Rocheſanum Huſſitam: Epiſtolas. JACOBVS BROMIARDVS Dominicanus, cujus extat *Summa prædicantium.* Et ALPHONSVS TOSTATVS Hiſpan Epiſcopus Abulenſis, ob doctiſſima commentaria in pleroſq; l. ſcripturæ libros eaque uberrima, quæ intra ætatis annum 40, quo mortuus eſt, conſcripſit, hunc verſum promeritus:

Hic ſtupor eſt mundi, qui ſcibile diſcutit omne.

ſed & inſuper ejus edita ſunt opuſcula præter alia mari demerſa, *Defenſorium trium concluſionum; Liber de Trinitate: Contra ſacerdotes concubinarios: Paradoxa: Explicatio verborum Eſaiæ. Ecce virgo concipiet: De ſtatu animarum poſt mortem: De optima politia:* & Hiſpanicâ linguâ XIV. *Quæſtiones.*

V. Me-

V. Medio porrò ſeculi edidere *ANTONIVS FLORENTINVS* Dominicanus *Summam theologicam*: *Summam hiſtorialem*; & *De eruditione confeſſorum*: *JOHANNES BASSOLIVS doctor Ordinatiſſimus* Franciſc. *in IV. l. ſentent.* *JOHANNES DE TVRRECREMATA* Hiſp. Dominicanus, & *Card. Summam de eccleſia*: *Apparatum ſuper decretum Eugenii IV. de unione Græcorum cum Latinis*: *Cōment. in decretum Gratiani*: *In pſalteriū*. *Euangelia Dominicalia*: *Euangelia de ſanctis*: *De Corpore Chriſti contra Bohemos*: *Salute animæ*: *Aqua benedicta*: *Conceptione B. Virginis*: *In regulam S. Benedicti*: *Meditationes de vita Chriſti*. *NICOLAVS CVSANVS* Germanus epiſc. Brixianus, Cardin. (*omiſſis philoſophicis*) *De viſione Dei*: *Docta ignorantia*: *Reparatione calendarii*: *Cribratione Alcorani*: *Veneratione ſapientiæ*: *Ludò globi myſticé*: *Adverſus Boëmos*: *Conjecturam de noviſſimis diebus*: *De dato patris luminum*: *De quærendo Deo*: *Directoriū ſpeculantis*: *de Filiatione Dei*; *Dialogum*

de

de Geneſi: De concordia Catholica: Sermones per annum & epiſtolas ad diverſos: Dialogum de Deo abſcondito: De annuntiatione dominica: Excitationum libros X.: Epiſtolas: Complementum Theologicum. DIONYSIVS RICHOL Germanus, monach. CARTHVSIANVS tot numero opuſcula, ut præter Auguſtinum & Toſtatum vix parem apud Latinos invenias; & excuſa quidem *Commentaria ſuper totam ſcripturam: De fide Catholica dialogion: Enarrationes in IV. Euangelia: Summam fidei Orthodoxæ: De doctrina & regulis vitæ Chriſtianæ: De arcta via ſalutis & contemtu mundi: Speculum amatorum mundi: De gravitate & enormitate peccati: Converſione peccatoris, Fonte lucis & ſemita vitæ: Devotum præcordiale: Dialogum patroni ad Canonicũ: Commentaria in l. IV. ſent. De IV. hominis noviſſimis: Morte: Judicio: Inferorum pœnis & gaudiis cœli. Colloquium de particulari judicio animarum.* HENRICVS GORICKEM Germ. *In IV l. ſentent.* PETRVS AQVILANVS cognomento

mento *Scotellus* Minor. In eoſdem. *JOHANNES E FRIBVRGO* Domin. *Summam Confeſſorum. STEPHANVS BRVLIFER* Britannus Minor. *Reportata in IV. l. ſententiar. Bonaventuræ. Sermones varios, Opuſcula. LEONHARDVS VTINENSIS* dominic. *Tractatũ ad locos communes, de legibus. Et ſermones quoſdam.*

VI. Circa finem ſeculi & initium ſequentis ad tempora Lutheri eruditionis ſcholaſticæ landem [illegible] runt *GABRIEL BIEL* Germanus academiæ Tubingenſis profeſſor, in lucem emiſſis *Commentariis in IV. l. ſẽtent. Expoſitione canonis miſſæ: & Sermonibus, per totum annum de tempore & ſanctis. IOHANNES PICVS Mirandulæ comes,* vir, ingenio & eruditione maximus, ætatis, quando obiit, annorum 33. *In primum caput Geneſ. In orationem Dominicam. Concluſionibus nongentis: Apologia pro concluſionibus ſuis: De ente & uno: De hominis dignitat: Regulis Chriſtianæ vitæ contra tentationes:*

In

In pſal. XVI. De Chriſti regno & mundi vanitate: Contra aſtrologiam: In convivium Platonis: Elegiis & epiſtolis variis THOMAS DE VIO, patr. CAIETANus ord. prædic. generalis & Cardinalis: *Commentariis in omnem ſacram ſcripturam*, præterquam Cantica Canticorum, prophetas Apocalypſin: *Comment. in ſummam Thomæ. Opuſculis adverſus Lutherum, aliisq́; Libro jentaculorum & ſumma caſuum.* FRANCISCUS FERRARIENSIS prædicat. General. *Commentariis in ſummam Thomæ:* JACOBUS ALMAINus doctor Pariſienſis *Com. in 3. & 4. ſentent. Moralibus, Opuſculis variis*, JOHANNES MAIOR Scotus. *in IV. l. ſent. In Matthæum & Hiſtoriâ Majoris Britanniæ. ADRIANVS VI. P.* Ultrajectinus: *Diſputationibus in IV ſentent. & Epiſtolis.* FRANCISCUS LYCHETUS *Franciſc. in tres priores l. ſentent. ex mente Scoti.* JOHANNES FRANCICVS PICVS, Johannis ex fratre Nepos: *Pro veritate religionis Chriſtianæ contra gentiles: De morte*

Chriſti & propria cogitanda: Studio divinæ & humanæ philoſophiæ: Divini amoris imaginatione: Stauroſticho: De fide & ordine credendi: Hiſtoriâ ſuorum temporum &c. GVIDO BRIANSENIVS Aurelianus Min. *In IV. l. ſentent.* JOHANNES COLONIENSIS Min. *In eosdem* & *Alia in Scotum.* ALVARUS PELARGUS *Summam.* & *De planctu ecleſiæ.* NICOLAUS ab AUXIMO Picenus Min. *Summam.* PELBARTVS OSWALDVS Temesvarienſis Minor. *Roſarium juxta IV ſent. libros quadripartitum: Sermones: Quadrageſimale triplex: Stellarium B. Virginis.*

VII. Extra hunc ſcholaſticorum numerum theologi alii hosce ingenii fœtus reliquere, aſcendente ſeculo: VINCENTIVS FERRARIVS Valentinus Domin. *Conciones à diſcipulis collectas: Tractat. de vitâ ſpirituali: Epiſtolas. Opuscula.* RICHARDVS HAMPOLITANVS aliis PAMPOLITANVS Angl. eremita *Enarrationem in Pſalmos: in Cantica piorum V.T. in aliquot cap. Job.*

Thre-

Threnos, Orat. Dominicam, Symbola Apoſt. & Athan. FRANCISCVS ROTA Dominic. Prof. Viennenſis *De virtutibus & vitiis.* PAVLVS de S. Maria ex Judæo Ep. *BVRGENSIS, Additiones ad Liranum & Scrutinium ſcripturarum.* BERNHARDINVS patr. *SENENSIS* Franciſc. *Sermones de tempore: De ſanctis: contra Judæos: In apocalypſin: De euangelio æterno: Chriſtiana religione: Conceptione B. Mariæ virginis: Paſſione Domini: De virtutibus & vitiis: Fructibus Eleemoſynæ: Triplici ſtatu animæ: Triplici amore magorum: Sacrificio Abrahami: Veritate: Amore Dei & animæ: Spiritu S. Caſibus proprietatis: Officium nominis Jeſu: De mundana proſperitat: Paſtorali gubernatione: & S. Joſepho ſponſo Virginis: Circumſtantiis nationũ: Divino amore: Triplici Chriſti nativitate: Tribus tormentis peccatorum: Obedientia: Defenſorium veritatis.* *LAVRENTIVS IVSTINIANVS* Venetus, primus Venetiarum patriarcha: *Lignum vitæ; De diſciplina monaſtica; Con-*

nubio

nubio verbi & animæ: Humilitate: Spirituali interitu animarum: Trivmphali agone Chriſti: Interiori conflictu: Complanctu eccleſiæ: Corpore & ſanguine Chriſti: Vita ſolitaria: Contemtu mundi: Sermone Domini in cœna: Officio paſtorali: Obedientia: Gradibus perfectionis: Sermones alios quadraginta. Et duo ſecul ornamenta, *THOMAS DE KEMPIS* Belga, Canonicus. *Lib. IV. de Imitatione Chriſti* (quorum tamen authorem alii faciunt Johannem Abbatem de Gerſen, ſive de Geſſen) *Sermones ad novitios: ad Fratres: Dialogos Novitiorum: De vita ſolitaria: Tribus tabernaculis: Vera conjunctione: Hortulum Roſarum: Vallem liliorum: Alphabetum monachi: conſolationem pauperũ: epitaphium Monachi: Manuale parvulorũ: Doctrinale juvenum: De contemtu mundi: Epiſtolas ad diverſos.* Atque WESSELUS *GRONINGANVS* Concionator Wormatienſis dictus *Lux mundi* & quòd aliena à recepta ſententia doceret *Magiſter contradictionis: de Oratione*

one in orationem Dominicam: Providentia Dei: Incarnatione & paſſione: Poteſtate eccleſiaſtica: Sacramento pœnitentiæ: Communione ſanctorum: Purgatorio: Epiſtolas: Indulgentiis: De ſacr. Euchariſtiæ & audienda miſſa &c.

VIII. Medio ſeculi, AMBROSIUS SPIERA Tarviſinus ord. ſervorum *Sermones de floribus ſapientiæ & de Adventu.* *BARTHOLOMÆUS ANGLICUS* Min. *De proprietatibus rerum.* BARTHOLOMÆUS DE CHAIMIS Min. *Confeſſionale.* FRANCISCUS PLATEUS Min. *Summam myſteriorum Chriſtianæ fidei, alia.* *GABRIEL BARLETA* Appulus dominic. *Sermones varios.* JOHANNES GRITSCH Baſil. Min. *Quodrageſimale.* *JOHANNES HOFMAN* ep. Miſnenſis, *De communione ſub utraque.* PETRUS DE HARENTHALS *Collectarium expoſitionum pſalterii.* *RAYMUNDUS SABUNDE Hiſpanus, Theolog. naturalem.* ROBERTUS CARACCIOLUS Licienſis Min. *Varios ſermones & RODERICUS*

ZAMORENSIS ep. *Speculum vitæ humanæ.*

IX. Deſcendente ſeculo ediderũt ejusdem commatis theologi, HENRICUS HARPHIUS *Speculum aureum*, i. e., Opus de X præceptis: *de tribus partibus pœnitentiæ: Effuſione cordis: Directorium aureum contemplativorũ: Collationes tres: Sermones por Quadrageſimam: & imprimis de myſtica Theologia.* AMBROSIVS CAMALDVLENSIS ordinis abbas, Florentinus, *Tractatum de Spirit. ſ. de ſacramento corporis Chriſti: Orationes: Epiſtolas: Vitas Eugeniæ, Proti, Hyacinthi, & Johannis Chryſoſtomi: Homilias in Matth. & alia non pauca.* JACOBVS DE VALENTIA epiſc. Chriſtopolitanus, *Commentarios in pſalmos: in Cantica Salomonis. Zachariæ: B. Virginis & Simeonis, In Hymnum Te Deum laudamus: Item, contra Judæos de Chriſto.* CYPRIANVS BENETVS Aragonenſis, Dominic. *Tractatus IV. de prima orbis ſede: De concilio: De poteſtate eccleſiaſtica: De Ponti-*

ficiis

ſicis maximi poteſtate. FINVS HADRIANVS Ferrarienſis, *Flagellum in Judæos:* DOMINICVS JACOBATIVS, Romanus, *Opus de Conciliis.*

X. Plures omnino alii huc ſpectant, qui *Sermones* edidere, vel *Quadrageſimales* ANTONIVS BITONTINVS. ANTONIVS VERCELLENSIS Minor. MICHAEL MEDIOLANENSIS Minor. PAULUS ATAVANTIUS Florent. ord. ſervorum. JOH. REYNARDUS Dominic. Gallus: vel *Dominicales.* ANTONIVS GISLANDVS è Javeno in ſubalpinis, Dominic. MICHAEL DE UNGARIA. OLIVERIUS MEILARDUS Britann. Minor. Pariſienſis theol. & CAROLUS BOVILLUS Veromanduus; ille tamen etiam *De peccati ſtipendio & gratiæ præmio*, hic in *Pſalmos quosdam & de laude gentium* ſcripſit. Vel *in paſſionem Domini* RAYNERVS E LAUDEMBVRG mon. Aug. Vel in *decalogum & epiſt. Pauli* GOTTSCHALCVS HOLLEN Germ. Aug. Vel *De filio*

prodigo JO. MEDER Minor. Baſileenſ. Vel *De Jubilæo* JO. GEILER KEISERSBERGERUS. Sed & hic & *BAPTISTA FERRARIENSIS* Carmel. *BERNHARDINUS DE BUSTIS* Mediolan. Minor. BERNHARDUS DE BUSCO, HIERONYMUS SAVANOROLA. JO. PALIZ. NICOLAUS DE NYSE Gallus Min. PAULUS UVAN Paſſavienſ. *Varios ſermones* reliquerunt. Sic librum *De oſculo morali* elaboravit *BERCHORIUS*. *De veris animi gaudiis, aliaq; ad mores ſpectantia BOSSUS. Speculum diſciplinæ monaſticæ CAROLUS FERNANDUS* Brugenſis, profeſſor Pariſ. à puero oculis captus. *De contractibus; in Lombardum. Orationes de* 12 *abuſibus monaſticis. CONRADUS SUMMERHAUT* unus è fundatoribus acad. Tubing. *De immortalitate animæ* JAC. BRUTUS Novocomenſ. ord. S. Salvatoris. *De beatitudine* LEONHARDUS NOGAROLUS, Veronenſ. *Recuperationes Feſulanas & opera quinque moralia MATTH. BOSSUS*
Veron.

Veron. *Antidotum animæ* NICOL. *SALICETVS* abb. S. Bogardi. *Clypeum Thomiſtarum* PETRVS NIGER Dominic. *Speculum finalis retributionis, gaudiorum & pænarum* PETRVS REGINALDVS Minor. *Problemata in ſelectiores ſ. ſcripturæ locos* GEORGIUS VENETUS Min. *Miſſalis expoſitionem literalem, allegor. tropolog. & anagog.* JOH. BECHOFEN ord. Aug. Theſaurum theologorum JO. PICCARDUS Min. *ſpeculum morale* ſeu myſticas explicationes totius ſcripturæ JO. VITALIS à FURNO card. Albanus. *De pænitentia* MENALDVS ROSARIVS Burdig.

XI. Canoniſtæ hujus periodi ſcripſere PETRUS ANCARANUS Bononienſis, Baldi diſcip. *In decretales, Clementinas & Conſilia.* Hujus civis & æqualis ANTONIVS DE BVTRIO, *in Decretales & Clementinas: Repertorium Juris Canonici.* FRANCISCVS ZABARELLA Patavinus, Archiepiſc. Florentiæ & Card. *In de-*

cretales & Clementinas: Conſilia & Repetitiones varias: De horis canonicis; Schiſmate. JOHANNES DE IMOLA JCtus Bononienſis, *In 3 libros decretalium: In ſextum & Clementinas.* JOHANNES DE ANANIA, Archidiac. Bononiẽſis, *In Decretales & Conſilia.* NICOLAVS TVDESCVS Siculus, archiepiſc. PANORMITANVS, dictus *Lucerna juris, In l. v. decretalium: In Clementinas: Conſilium & Quæſtiones, Relectionem in capit. per tres, de Arbitris: Practicam.* Poſt medium ſæculi XV. ANDREAS BARBATIVS Siculus: *In decretales: De Cardinalium præſtantia: Varia conſilia.* ALEXANDER *Tartagnus* DE IMOLA *In ſextum decretalium: Clementinas, Conſilia & alia ad jus Rom. ſpectantia:* FELINVS SANDEVS Ferrarienſis JCtus, *in Decretales: De jure patronatus: De indulgentia plenaria:* HENRICVS Card. OSTIENSIS. *In omnes decretales, & ſummam.* IOHANNES KELNER è Wanchel, *Summam & concluſiones ad ſextum.*

tum decretalium: Item in Clementinas. Quibus adjicimus *Caſuiſtas*, tres Franciſcanos, PACIFICUM, ANGELUM à CLAVASIO, & BAPTISTAM TROVAMALAM: illius. *Summa caſuum eſt Pacifica: iſtius Angelica, hujus Roſella*: duosque Dominicanos IOHANNEM TABIENSEM, *Cujus ſumma eſt Tabiena;* & RAYNERIUM PISANUM; cujus eſt *ſumma Rayneriana*. Hic tamen & *Pantheologiæ* author eſt.

XVI. In Husſitis concilio Baſileenſi affligendis gloriā aucupati ſunt JOHANNES RAGUSÆUS Dominicanus, *Oratione* habita per octiduum *de communione ſub utraq;* HENRICUS KALTEISEN, Dominicanus, *Diſputatione* (potiùs Oratione) triduana contra *Huſſitas*, JOHANNES DE POLEMAR, Archidiaconus Barcinonenſis. *Oratione* itidem triduana *contra Huſſitas*. Hujus & Florentini concilii tempore, ex Græcis, quos ſuprà laudavimus, BESSARION, natio-

ne Trapezuntius, Cardinalis publici juris fecit, *Orationem pro unione Græcorum & Latinorum. Aliam ejusdem argumenti: Adverſus Marcum Epheſium pro defenſione eccleſiæ Romanæ. Adverſus eundem de verbis conſecrationis: De illo Joannis 21. Si eum volo manere, donec veniam: Philoſophica* mittimus. GEORGIUS SCHOLARIUS, aſſumto Patriarchatu Conſtantinopolitano dictus GENNADIUS: *Orationes de pace inter Græcos & Latinos ineunda. Orationes 5 de quinq; articulis controverſis pro eccleſia Romana: De Proceſſione Spiritus ſancti: Primatu Papæ: Azymo: Purgatorio: Viſione Dei ante reſurrectionem corporum: Librum, in quo cum Mahumete Turcarum Imperatore de fide Chriſtiana agitur*, titulo, *Vita ſalutis hominum.* JOSEPHUS METONENSIS epiſc. *Reſponſionem pro Concilio Florentino contra Marcum Epheſium:* & GREGORIUS POTOSYNCELLUS, Patriarcha *Contra eundem Marcum reſponſione.*

XIII. Hiſtorias in commentarios

retulerunt, Græcè medio ſeculi, *de origine & rebus geſtis Turcarum* LAONICUS CHALCONDYLA Athenienſis. At Latinè FLAVIUS BLONDUS, Forolivienſis, Eugenii IV ſecretarius, *Romanam annorum CM* ad annum Chriſti 1400. MATTHÆUS PALMERIUS Florentinus, Chronicon ab anno 449 ad 1450. Hujusque continuator MATTHIAS PALMERIUS Piſanus, ad annum 1481. Provectiore ſeculi parte BAPTISTA PLATINA, *Vitas Pontificum usq; ad Paulum II.* hujus tamen & exſtant libri de natura rerum: De honeſta voluptate: Valetudine & Epiſtolæ. *BONIFACIUS SYMONETA* abb. Italus, *Hiſtoriam Chriſtianarum perſecutionum.* *WERNERUS WESTPHALUS*, *Faſciculum temporum*, ab initio mundi ad ann. 1484. operis ad annum 1514. continuator eſt *JOHANNES LINTURIUS. JACOBUS PHILIPPUS BERGOMENSIS*, monachus Auguſtinianus, *Complementum Chronicorum*, quo hiſtoriam

univerſalem ad annum Domini 1436 complectitur. hujus eſt ſcriptum *De claris mulieribus Chriſtianis.* ANTONIUS BONFINIUS. *Hiſtoriam Ungaricam & Commentarium de pudicitia.* JOHANNES NAUCLERUS præpoſitus Tubingenſis. *Chronicon univerſale ad annum Domini 1500.* ALBERTUS KRANTZIUS, Canonicus Hamburgenſis, *Metropolin ſeu hiſtoriam eccleſiaſticam: Hiſtoriam item Saxonicam, Vandalicam & Chronicon aliarum ſeptentrionalium regionum.* PAULUS LANGIUS Zwickavienſis *Chronicon Citizenſe:* HECTOR BOETHIUS Scotus *Hiſtoriam Scoticam & deſcriptionem regni Scotiæ.*

XIV. Tandem omnigena eruditione, pro illius modulo ætatis, quà literæ inſtaurabantur, emicuere poſt ſeculi medium ÆNEAS SYLVIUS, Senenſis, Pontifex poſtea PIUS II. (ab illo Virgilii, at pius Æneas) dictus: hic ſcripſit *De rebus eccleſiaſticis contra Thaboritas: Ad Nicolaum Cuſanum: De*

fide

